

*Belo* fluuius est & opidum in oris Bæticæ.

*Besola* in eiusdem oris fluit.

*Betis* fluuius, qui Bæticæ nomen dedit. quæ postea *Vandalusia* à *Vandalis* creditur nuncupata: dextra lœuque oliuferis colitur opidis. Ipse ex Tarraconensi regione demissus per medium fere Bæticam, sicut nascitur vno decurrit alueo: post autem mari propinquus lacum ex se ingentem facit. *Cordubam* Pieridum alumnam atque *Hispalim* celeberrimas vrbes alluit. Amoenissimis admodum exultissimisq; præclarus est insulis, nullaq; etiam affluentissima eloquentiæ facundia mediocriter collaudandus. In cuius agris homines soli cœliq; natura voluptates deliciasq; abunde præbet: Vnde Poetarum quidam *Elysios campos* in his oris esse finxerunt. Hunc annem auctore Liuio *Chinum* Hispani appellant: Græci Batim à vocabulo, quod profundum sonat. Magnarum enim nauium ferax est, quibus vatis merciū genera exportare liceat. Meminit Statius in *Genethliaco Lucani ad Pollam*:

*Graio nobilior Melethæ Betis.*

*Bætym, mantua prouocare noli.* Et *Martialis:*

*Bætis oliufera crinem redimite corona,*

*Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.*

*Quem Bromius quem Pallas amat.*

Vino enim abundat regio, atque huius fluminis aquæ immersa sœpius, & madefacta vellera, colorem recipiunt aureum.

*Bilibim* ferri temperamento aptissimum tradit Trogus Pompeius in Hispania esse: quem reor Salonen appellari. Inde eo nomine ascito, quod *Bilibim* urbem alluat.

*Betulus* flu. est in Leletanis, ni imbribus intumeat, exiguis est, & vadofus: præbet tamen suburbaniis agris celebris, & pulcherrime urbis nostræ utiles irrigationes: huius etiam molinae hoc amne ciuntur, & exhausti riuuli in usus officinarum transeunt: ab orientali latere Barcinonis Balearicum ingreditur pelagus.

*Cinga* flu. est vagus admodum, & rapax: *Fragam* urbem alluit. Postremo Ibero mixtus eum tantum auger, vt inde nomen maximi Hispaniarum fluminis accipiat. *Lucanus:*

*Cinga rapax veritus fluctus & littora cursu*

*Oceani pepulisse suo: nam gurgite mixto*

*Qui præstat terris austert tibi nomen Iberis.*

*Calibem* Hispaniæ fluuium esse, & iuxta *Arandim* opidū fluere prisci auctores tradunt. *Clerum* Hispaniæ flumen esse legi, nec qua fluat regione traditum est.

*Durius* vñteroris Hispaniæ celebratū est flumen arenis aureis: in Tarraconensi oritur & in Celtiberos lapsū Numantiam urbem alluit. Tandem Sisamoneum oppidum lambens, & in Lusitanos veniens in Atlanticum procurrit Oceanum. *Silius Italicus:*

*Hic certant Pactole tibi Durius, Tagusque.*

*Ditta Cantabros perfluit.*

*Eritius* Hispaniæ fluuius esse legitur, qui cum dulcis esset, amarus postea factus esse fertur: quod ex Græcorum fabulis ortum puto.

*Eumenius* fluuius est Galletiæ, quadrinomius: nam & *Lethes*, i. obliuionis appellatur. & *Bellion*, & *Limia*: fabulis est admodum famigeratus: vt qui vulgo ab inferis oriri existimetur. Aurum etiam, vt pleraque Hispaniarum fluminā, arenis commixtum deducit ē mōtibus. *Silius Italicus*, 3. bel. Pan.

*Quis super Gronios lucentis voluat arenas,*

*Inferna populis referens obliuia Lethes.*

*Lethem* autem Strabo inde appellatum tradit, quod cum Galli atque Turduli sociis ad id Ruthen armis peruenissent, eo trajecto seditione orta dissidentes, eorumque obliiti quod in Hispanos mouerant belli, iuxta flumen resedere.

*Florus* Astures irrigat.

*Iberum* nemo sine pudore ignorat Hispaniæ fluuium esse quippe qui toti Iberiæ nomen dederit. Hiberia autem Asie Regio ab Iobele, vt Iosephus tradit, appellata est. Dionysius porro Alexandrinus auctor est, eos qui Asiam incolunt *Iberes* ex Hispania profectos esse. Contra sentit auctore Agrippa, Plinius: quod est vero similius, si priscæ hominum origines repetantur. Oritur *Iberus* agro Iuliobricensi in Cantabria, tenuissimus, primo mox magnorum amnium capax, Calagurritanoque exceptus agro, Tuteam petit opidum & Celsam urbem, ponte olim celebrem; inde Salduliam, quæ nunc est

*Cæsaraugusta*, affluit, opimam admodum urbem: & patentibus vndiq; campis irriguis lac-  
tissimam illinc digressus in Austrum labitur, nauium ferax, iunctus deinde Cinga Sicorius  
annibus *Dettisam* opulentam urbem alluit. Postremo maritimarum iam nauium patiens  
versus Alphacium Ibericum dulcorat pelagus.

Meminit Lucanus in tertio:

*Stagnantem Sicorim & rapidum deprehensus Iberum.*

Commentiis post Bætim primus est; sed aquarum copia, non ingruentibus in Bætim Oceani æstuariis maior.

*Ilerda*, Ilergetarum fluuius à quo *Ilerda* vrbis vetustissima appellata esse legitur. Vulgus  
*Nocenam* appellat. Silius huius vrbis meminit illo carmine:

*Et quæ Dardanios post viderat illa furores*

id est, Romana bella: nam Petreius & Afranius Pompeianarum partium duces auspicis Cæsaris ibi expugnati fuere. Meminit & vrbis Horatius; ad quam tempore belli ciuilis frequentes epistola mittebantur:

*Aut fugies, inquit, Uticam: aut vincus mitteris Ilerdam;*

Nonnulli eundem esse hunc & Sicorim arbitrantur.

*Lacros* per Celticos fluit.

*Limia* per Gallecos.

*Limius* ad Deorum insulas.

*Meacus* Gallecos penetrat.

*Menuba* Turdetanorum fluuius est, Bæti se commiscens:

*Menascus & Melsus* per Cantabros fluunt.

*Minius* fluuius est Gallicè maximo ore spatus; qui vt Isidorò Cæthaginensi placet, à  
minii colore, quem frequens trahit, nomen creditur accepisse.

*Munda* fluuius est inter Lusitanos notissimus: & opidum eiusdem nominis in Bætica, vbi  
Pompei liberi debellati fuere. Silius de vrbē.

*Et Munda Emathios iterum paritura labores*

*Muliadas* fluuius est Carpentariæ, exiguis nauigabilis scaphis.

*Naumasa*, auctore Pomponio, per Cantabros fluit.

*Nerua Negauices* per eosdem.

*Narius Nelo* per Astures.

*Nauia*, Cantabrorum fluuius est, vnde ferunt *Nauarrigenas* nuncupatos, qui & nunc  
*Nanarri* dicuntur. Nonnulli à Niuaria opido nominatos existimant.

*Nauillus* in Gallæcis est.

*Negauicus* in Cantabris.

*Osigitanus* fluuius in Bætim mergitur.

*Pallantia*, per Edetanos funditur.

*Rubricatum* fluuius est à colore eo nomine appellatum, à Pyrenæis demittitur, & per Ba-  
gutos in Lacetano lapsus Issentium circuit agros. Inde ad Leletanos nostros veniens Ser-  
refsum iuxta montem labitur. Auctus deinde Norica flumine Rubricatam opidum petit. 40  
Hinc digressus ad quatuor millia passuum in Barcinonis littore occiduo ingreditur pelagus.  
*Salia* in Cantabris labitur.

*Salsus* Turdetanorum, id est, Bæticolarum, fluuius est aquarum amaritudine infamis,  
Geennesium præterfluit agrum. Meminit Cæsar in Commentariis.

*Salo* Celtiberiæ fluuius est, ortus Aracelitano agro, armentorum pecudumque potui  
perquam vtilis; ferrique temperamento aptissimus est: Mauros petit opidum & Ferisiam  
Silaos, & ipsam Bilbilim in cliuo positam: exin Epilami petens in agro Cæsaraugustand  
Ibero demum coniungitur. *Martialis,*

*Quibus renissum corpus stringes breui*

*Salone qui ferrum gelat.*

*Sanga* Cantabrorum est flumen.

*Saducas* in ora exit Bæticæ.

*Sars* per Lusitanos fluit: & emittitur iuxta turres Augusti.

*Sambroca*, vulgus *Samucam* vocat, per agrum Emporitanum decurrit; Sacramque villam  
& Nouemporium.

*Sicoris* Ilergetarum fluuius est, à Surdaonibus, & Cerretanis inter Pyrenæos oritur, ac-  
coliturque amœnis opibus, Ilerdamque urbem iam magnus alluit. Inde Octigenam pe-  
tit, & apud Michenesiam Ibero se iungit. Arenis aureis non est Tago inferior:

Meminit Lucanus in descriptione Ilerda vrbis his carminibus.

*Colle tumet modico leuique excescit in altum,  
Pingue solum tumulo super hunc fundata vetusta  
Surgit Ilerda manu; placidis prælabitur undis  
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes;  
Saxem ingenti quem pons amplectitur arcu  
Hibernas passuras aquas.*

Huius quondam fluminis accolæ in Trinacriam nauigantes à patrio amne *Sicori*, vnde discesserant, *Sicaniam* appellauere: quod ostendit Silius his carminibus:

*Post dirum Antiphæ sceptrum & Cyclopea regna  
Yomere verterunt primum noua rura Sicani  
Parene misit populos qui nomen ab amne  
Ascitipatrio terræ imposuere vocanti.*

Sunt qui scribant eos primum Latium tenuisse, longe ante Aborigenes, & inde à Liguribus pulsos in Siciliam transfretasse.

*Silensis fluuius est in agro Segouiensi.*

*Sorabis Ilerchaonum fluuius est, in agro Dertasono; quæ ab oppido per quod fluit vulgus *Seniam* nuncupat: Nec desunt qui existiment hoc flumen hodie *Milasiam* appellari.*

*Subi fluuius est tenuis, Suestanæ regionis, vulgus *Francolinum* appellat. Speluncia opido surgit & Tarragonensium deliciosis agris infusus ibidem mari excipitur: huius aqua irrigat alina, carbasa reddunt vsui nauium aptissima.*

*Sucro fluuius est non exiguus citeriori Orospetanis ortus montibus, Sertorii & Pompeii prælio insignis, Setabitanum præterfluit agrum. Inde *Algeriram* ambit opidum ita Arabico nomine appellatum, quod in insula positum sit; Postremo non longe à *Colleria Ebusitano* conditur æquore. Nauium patiens est si eius aluei sæpe rotantur: & quæ se excursu imbrum sparserit cogatur in aptas angustias compactis vtraq; ripa trabibus. Huius fluminis meminit Silius in illo carmine.*

*Sedet ana cohors, quam Sucro rigantibus undis,*

*Atque alterix celsa mittebat Setabis urbe.*

*Et Salustius in libris historiarū: Castra hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Turiam & Dux hostium C. Herennius cum exercitu. & urbe Valentia deleti.*

*Tader fluuius versus nouam Carthaginem funditur. Oritur montibus, quibus Bactis, & Murtiam, Aureolamque contingens. Ebusitano pelago seu Iberico conditur, hunc vulgus *Securam* appellat.*

*Tagus fluuius est Graiis nostrisq; carminibus celebratus, aureis granulis insignis, piscium ostrearumque feracissimus. Ex Catulonensi erumpens agro & in Carpentanos lapis Toletum præpotentem, validamque urbem pene circuit: tandem Lusitanos contingens ad Olisponem ingreditur Oceanum. Catullus:*

*Tertia Iberia quam cit amnis aurifer Tagus.*

*Statius Papinius in Epithal. Stellæ & Violantillæ.*

*Hinc Hermum, fuluog; Tagum decurrere limo.*

*Meminit & Iuuenalis.*

*Omnis arena Tagi quodq; in mare voluitur aurum.*

*Et Ouidius.*

*Cedat & auriferi ripa beata Tagi.*

*Tamara, fluuius est in Gallicia clarus.*

*Tus qui & Ticer à Plinio appellatur, inter Ausetanos fluit, à conuallib. Pyrenes delapsus per confragosa primum loca, & salebras in plana decurrens, Hierundam validam urbem petit, ubi Nudarium amnem absorbens, inde iam grandior factus Indicetum apricos agros circuit, & versus Cirneum montem immiscetur mari.*

*Turia Sedetanorum, & Contestanorum fluuius est, eorum amoenissimus irrigans eam pos; Turiolum sui nominis opidum linquens Valentia urbi delitarum & nobilitatis altrici proximus labitur. Inde ob crebram riuolorum deductionem tenuissimus in mare deuoluitur. Salustius quarto historiarū libro in hæc verba meminit. Inter leua Mænum & dextrum flumen Turia, quod Valentiam paruo interuallo præterfluit. Ab Afris postea, qui eam urbem ad ccc. pene annos tenuierunt, barbarum huic fluuiio nomen vix ore Latino sondandum impositum est; quod te ferre pudet.*

*Laudat hunc amnem Claudio illo carmine inter laudes Syrenæ:*

*Floribus & roseis formosus Turia ripis.*

*Turiam quidam ideo dictum existimauere, quod petentibus olim Phœnicibus Gades, eum ab Ebusio soluissent, tempestate repulsi ad huius fluminis ostia deuenerunt: vbi vacarum multitudinem inuenientes flumen Turia; id est, vaccis cultum appellauerunt;*

quas ipsi *Tur* patrio sermone appellant. Alii *Thuriam* significatione Græca, quasi celerem appellari putant.

*Tarnum* fluuius est in Leletania; aureos tradens grumulos. Vulgos *Tarderiam* vocat. Exoritur monte quem *Virnum* quidam, alii *Senium* appellant, qui omnium metallorum genere scatet; marmoribus quoque fæcundus est. Leguntur aureæ arenulæ inter fluminis lapillos non longius à loco; vnde annis oritur, toto anni tempore; præsertim si vis aquarum repente immineat, tunc enim imbribus eliquata terra, ex monte, quem diximus, cum auro labitur, & in amnem defluit. Inde demissis tabulis ab accolarum alacri turba pretiosissimum naturæ munus excipitur. Scimus lectum fuisse nouissime grumum ponderis vnius librae, & confectum inde torque. Fluuius ipse Celidonum irrigans agrum non longe à *Blandis* opido nostrum subinrat pelagus.

*Vacua* inter Carpetanos fluit; quos iuniores *Castellanos* appellant, & lintribus vel monoxilis non onerariis nauibus, vt refert Strabo, enauigatur.

*Vacus* per Lusitanos fluit.

*Via* per Gallecos.

*Vir* per eosdem.

*Velo* per Celticos,

*Vduba* tenuis est fluuiolus, in regione Ilercaonum Sagunto, èrumnis & seruata fide ve-  
nerandæ vrbi propinquus. Hanc vrbum nostra etate, cum antiquissima sit & à sociis Her-  
culis condita, *Veteres muros* appellant. Silius:

Haud procul Herculei tollunt se littore muri

Clementer crescente iugo, quis nobile nomen

Conditus excelsò sacrauit colle Zacynthos.

## DE MONTIBVS, ET PROMONTORIIS.

**A** *Varium*, promontorium est non longe ab Anae fluuii ostio.

*Barbarium* promontorium est Lusitanæ haud procul ab Olisipone, insigni & qua-  
stuosa vrbe.

*Calpe* mons est totus in mare prominens, latitudine exilis, altissimus celsitudine, *Abile* 30  
qui in Africa est, oppositus, quem alteram *Columnam Herculis* esse fabulosa vetustas tradi-  
dit, eumq; quondam perpetuo iugo *Abile* iunctum ab Hercule, cum in Hispaniam venis-  
set, separatum, & inde Oceanum mole montis ante retentum, in medias exundasse terras  
angustoq; Freto Europam ab Africa separasse. Lucanus.

*Hesperium Calpen* sumnumque repletit *Atlanta*.

Silius, — ac laudibus olim. *Terminus Herculeis Calpe*.

*Canatus* citerioris Hispaniæ mons est, è Pyrenæis sublimior vergit in Galliam Narbo-  
nensem, versus Ruscinonensem agrum: in cuius vertice non improbata fama lacus esse fer-  
tur, immensa profunditatis, qui repentinis imbribus Oceani more astuare & quasi effe-  
uere videtur, ab grandine & tonitribus concuti. Interius umbrarum & dæmonum esse se- 40  
des ferunt; lugentiumq; clamores & planctus audiri horrificos; & ea loca ad infernas usq;  
regiones penetrare afflant, sataque & arbores eius aquæ malignitate contrahas aduri  
atque arescere.

*Caridenum*, vt Ptolomæus tradit, promontorium est in capite Bæticæ versus nouam  
Carthaginem, haud procul à portu magno.

*Celticum*, promontorium est Gallicæ, in oceanum prorumpens.

*Cuneus* promontorium est sacro propinquum.

*Edulius* mons est in Tarragonensi.

*Erminius* mons est Lusitanæ.

*Ferraria* promontorium est in agro Dianensi distat ab Ebuso insula LXXX. M. P.

*Grini* mons est mari contiguus, in citeriori apud Emporitanos & ostia Ticeris.

*Idabede*, montes sunt continui in Tarragonensi in Cantabria incipiunt & usque ad no-  
strum mare excurrunt.

*Ilipa* mons est in Bætica.

*Iouis* mons est vndiq; absolutus, olim portum, nunc speluncam Barcinoni præbens re-  
cresentibus lapidicinis egregius est; & vario fructuum fontiumq; genere ornatus: Inter  
quem & Tarragonem montes sunt ad littus rupicosi, & per declivia cautiua in formagra-  
duum distincti: quos vulgus olim *Scalas Hannibalis* appellavit.

*Larso* promontorium est Pyrenæi apud Vascones in Oceano Cantabrico.

*Luna* promontorium est, non ab ostio Mundæ fluuii situm.

*Lunarium*

*Lunarium* promontorium est in Loletanis, versus Indeetarum oram.

*Mascaria* montis Hispaniæ regionem non legi.

*Magnum* promontorium est Lusitaniae inter Hannibalis portum & Olisponem situm, quod & *Olisponense* & *Artabrum* appellatur: In hoc Fauonio flante equas sine masculis concipere ob earum multitudinem poetæ auctore Pomponio Mela fabulati sunt: quod ostenditur à Silio his versibus:

*Hic adeo cum ver placidum flatusq. tepescit.*

*Concubitus seruans tacitos grex prestat equorum.*

*Et Venerem occultam genitali concipit aura:*

*Sed non multa dies generi, properatq. senectus*

*Septimag. his tabulis longissima ducitur etas.*

Quidam autem affirmant huius genitrix equos triennio tantum vivere, & perraro quadratos videri: Porro si vento generantur, velocissimos esse non est mirum. Nihil enim vento velocius inueniri potest. Vnde Homerus xx. Iliados ait; Eryctonium habuisse tria millia equorum, cum quibus Boreas suscepit equi specie coiuit, quo velociores essent.

*Nerium* promontorium est Vardulorum in Cantabris.

*Orubium* promontorium est Gallaicorum, situm inter Minium & Tamaram flumen.

*Orospeda* montes sunt continui à columnis incipientes qui adusque Carthaginensem agrum porrigitur.

Pyrenæi perpetui montes sunt, Hispanias à Gallis diuidentes: dicti ut plures tradūt quod fluminibus crebris feriantur vel à Pyrene Bebrycia Virgine ab Hercule ibi stupro cognita; quod videtur sequutus Silius i.ii. Punicorum his versibus:

*Pyrene celsa nimbose verticis arce*

*Diuisos Celtis late spectabat Iberos,*

*Atq. eterna tenet magnis diuorta terris:*

*Nomen Bebrycia duxere à virgine colles,*

*Hospitis Alcidæ crimen qui forte laborum,*

*Geryonis petèret cum longa tricorporis arua*

*Professus Baccho seu Bebrycis in aula;*

*Lugendum forma sine virginitate reliquit.*

*Pyrenæi*; seu vt Diodoro placet, (nam ea fabulosa Plinius existimat) dicti sunt, quod olim a pastoribus imposito igne conflagraverunt; quo incendio varia metallorum genera erupisse tradit: aut quod verius puto, appellati sunt, quia in modum Pyram eorum cacumina emineant. Horum radices incipiunt finibus Narbonensis Galliæ regione.

*Sardoun* promontorium quod *Pyriam* vocant. Patet frons eius versus nostrum pelagus in latitudinem circiter decem millia passuum, vbi Cancilibérum opidum Iberitanorum olim, & Ruscinonensium nunc *Perpinianensium* emporium. Est & in fronte *Veneris portus* & *Ceruaria* promontorium Galliæ finis, vnde & Pompeii trophea cernuntur. Dein & promontorium aliud ostenditur nautis celebratum, quod *Crucianum* appellant. hic ab Hispania in Galliam navigantibus initium est Narbonensis procellos atq; importuosus sinus, qui peq; Austro & Africo totus expositus est. Quatitur etiam æua hyeme Círcio & Aquiloni. Inde digressus Pyrenæus in sublime se faltigat in excelsum iugum exsurgens; quod cum nivis sit *Albetam* vocant, à Cerretanis Herculis quondam Comitibus & Vasconibus supraea eius inhabitantur. Ipse Emporitanos, Ansetanos, Ilergetas, Surdaones, Iacitano, Cantabrosq; relinquens, tandem Larçonem versus Oceano se iungit: In his monibus per candidi pauones gignuntur, non ingentes; boues elephantibus maiores; vt Graecorum quidam tradidere. Pernas suum, qui in his conuallibus nascuntur, acceptas fuisse Romæ tradidit Strabo.

*Sacrum* promontorium è media occidua Hispaniæ fronte in Oceanum extenditur.

*Saturni* promontorium, in quo aræ *Sestiana*, versus maritima Asturum est.

*Salarius* mons est excelsus versus Oretanos, non *Aragotis* vt recentiòt quispiam tradit:

*Serratus*, quem & *Serratum* vocant, mons est finibus Leletanorum in Lacetanis: Olim profanis deorum cultibus dicatus: de quo quædam haud indecessiter enarrare lubet. Mōs ipse non modo in Hispaniis, sed vbiuis prouinciarum Latini, Christianique nominis fama pernotissimus est; situs & religio efficit, distat à Barcinone circiter x x. millia passuum tantundem mari remotus. Lambitur à Septentrione rubricato amne, vbi *Palladium* opidum Olesia pater xii. millia passuum in insulam sedens, & nulli contiguus, vt Soracte in Italia. Altitudo eius ardua, & quam eminentes clivi caulesq; exasperant: Nemorosis internis ornis & fraxinis & huicmodi arboribus insignitus est, salientibusque fontibus

irriguus, medicinalium quoq; herbarum feracior. Aspectus eius amplissimus ut Pyrenæis & occidente sole Balearibus terminetur. Et cum cernentibus se inaccessibilem ostendat, benignum tamen aditū circuitus tribuit; exterius autem præruptis exesisq; laxis ita vndiq; in graduum, & serræ similitudinem, & ex ordine compositum est, ut prudenti opere naturalm ipsam aut mundi huius opificem montem ipsum nescio quid sacri numinis ostentantem suo celeberrimo cultui extruxisse credamus. Religionis eius auxere initia, quod supremæ Virginis facer sit ob vetustissimum ipsius simulacrum abditissima spelunca diuinatus adinuētum. De quo si pro materia diceretur, grande esset profecto opus; & ideo relinquendum, Ultramontis modum ara Virgini extorta est, & augustissimum templum. Via quoq; ascendentibus non exigua, laborioso, accolarum cultu regiisq; sumptibus coacta est. Desperatum prima manu opus, mox absolutum. Cacumina præterea montis religiosis habitantur viris, quos heremitas appellant, ligneisque gradibus & exemplibus scalis & pendentia saxa admotis non sine vastæ sublimitatis terrore, ac casus etiam periculo adeuntur. Ascendentibus ne decidant remedium est, curiosius scandere, & ne ima despiciant. Hereticolæ ipsi cœlibes, ac spretis libentius male caris opibus cœlestia venerantur. Templum quod diximus cera argentoq; atq; auro conflatis per orbem donariis onustum est. Cuius veterimi tholi fastigio mirandæ virginæ opis miseris ægrisq; mortalib. præstite testes appendent statuæ, & depictæ imagines, cathenæ, loricæ, clypei, & rostra carinis erecta, atq; alia liberationis ac victoriæ monumenta. Quodque omnium maximum est, reuiuiscentium hominū funebria vestimenta superatae naturæ mirificentissimum spectaculum. Sol. 10 uuntur vota sexto Idus Septembbris: numerosa popolorum usque ad internectionem profusa. Sed iam alios quæramus montes.

*Scombraria* promontorium à scombris piscibus dicta, sita sunt inter *Dianum* urbem & *Carthaginem nouam*.

*Temarianus* Bæticæ mons est.

*Tenebrum* promontorium est in agro Dertosano.

*Trileucum* quod etiā *Lexaciæ* dicitur in Galleis est, non procul à fluvio Brigantia.

*Vrinium* montem esse Hispaniæ non designata regione, complures tradunt.

*Vadarneronem* quidam non temere *Celtiberiæ* montem esse existimant; ab aliis effrætum atq; in insulam positum: quem nunc *Vadanorum* corrupto in vulgus vocabulo appellari volunt. Olim Manibus sacer fuit, qui etiam à Martiale carmine celebratus est, ubi *Vobersæ* siluæ meminit. *Montordi* opidi. & *Somone* vici, & *Congredi Balnearum*: quæ omnia in agro Bilbilitano sunt: ubi & *Ferrarie*. Distat mons à Tarracone dierum quinque itinere: quod à Poeta notatum est cum ait:

*Quinta forsitan eseda videbis.*

Mons ipse steriles est, & niuosus, ubi etiam hodie intempesta nocte umbræ apparet dicuntur.

BARCINO  
HIERONYMI PAVLI  
BARCINONENSIS IVRE CONSULTI  
AD PAVLVM POMPILIVM.



MICORVM quosdam fures esse temporis ait Seneca. Tu cōtra Pomplii facis: curas enim & instigas ne surripiantur amicis, neue negotiis obruantur. Rogas vnum, aut aliud: quo temporum mōra fructū aliquem literatum his, quos diligis, pariat: appellasq; négotia ipsa impecdimenta quædam philosophiæ & sublimioris exercitationis animi interceptionis. Interrupisti nuper per epistolā négotiosas legum actiones, gratissimo rogatiū. Cupis enim ut quæ de vrbe mea, eiusq; agro & principatu; incolis & situ, deq; eorum rebus præclare magnificeq; gestis, apud priscos auctores & fide dignos legi, ad te scriberem, addita perstrictim usque ad nostra tempora historia quod libens feci: id te exposcente, ut de eruditione taceam, amicorum optimo: Placuit mihi à nostra, quamquam labori & vigiliis obnoxia, tamen ut iuris prudentes volunt, non minus, quam tua vera atq; sacra philosophia: ad mitiora & cunctis iucunda studia, tui gratia & materiæ diuertere: placidiorq; exercitio patrium solum, velut præsens, mente

mete paulisper collustrare. Igitur ut à cōditore ordiamur: qui ab Hercule conditā tradunt recentiores parui momenti auctores habentur, nulla adiuti prisorum auctoritate aut probabili coniectura. verumtamen ea opinio in vulgus sparsa, fouente iactantia, difficile truditur. Vnde veterum quidam pōtarum huic annexi, Barcinonem Herculeam dixerunt: quod nonnulli tamen à cultū Louis, non à conditore dictum suspicantur: eorumque opinionem ex Macrobii sententia, sed non liquido, vt nobis videtur, comprobare nituntur, quia it summum maximumq; in citeriore Hispania Martis numen fuisse, quem ipse ex radiorum ornatū solem interpretatur: eundemq; esse & Iouem & Herculem. Quin etiam ad suę opinionis confirmationem extare hodie aiunt, vetustos lapides delubri Martis in agro Settabitano, vbi Mars dominus vt Sol & Hercules appellantur: verum validior surgit opinio ex his qui existimant ab Amilcare *Barca* Pōnorū strenuo & sapientissimo duce fuisse conditam primi belli Punici temporib. Etenim Pōni & Carthaginem in agro Spartario, explorata opportunitate insignis portus, construxere, vbi exile oppidum fuerat ante à Teucro positum, & plures alias vrbes in Hispaniæ littoribus. Itaq; cum hæc: tum nomen (nam & *Barcine* etiam à veteribus est appellata) vel eiusdem argumento, indicant è familia Barcina fuisse conditorem. Ea Carthagine & per vniuersam Africam clarissimis imperatoribus excellens fuit: quippe qui maximam senatus suę Ciuitatis partem ad se traxere: non absq; inuidia Gisgonum atq; aliorum nobilium factionis aduersa. Originem domus primariā, à Barce antiquissima vrbe Libyæ nonnulli existimant. Sed ne quid huius disquisitionis vel fragilis opinionis omisisse videamur: Credidere quidā Barcinonis primordia à Barculo vrbe *Carię* fuisse: ducti, vt reor, magis similitudine nominis & Graecorum Asiaticæ que gentis profugiis atque erroribus, quam veterum traditione. Porro primum qui vrbis nostræ meminerit, reperio Pomponium Melam. Is Augūsti temporibus, inter parua oppida oræ Hispaniensis Barcinonem enumerat. Sed Plinii secundi tempore coloniam iam fuisse constat Romanam, Fauentiamq; cognominatam: Interq; colonias ius quoque Italicum sub diuo Alexandro habuisse, responso Pauliuri consulti ostenditur: *In Lusit. D.*  
*De Censib.*

Diocletiani item tempore per frequentem fuisse urbē legimus, & suburbis auctam, attrita prius per Germanos sub præside Gallieno Tarracone. Diuī vero Constantini principatu haud parui nominis & opulentam urbem fuisse ex scriptoribus animaduertere licet. Ceterum prius quam in sequentia tempora perscribantur, erit operæ pretium antiquissimos quosdam ciues vrbis nostræ florente in Hispaniis Romana R. P. referre. Seio equidem Romanorum nominum suscitata vetustate gaudebis.

L. Licinius secundus, & L. Licinius Sura ciues nostri fuere, & uterq; Consul. sed non vnotempsore: vt in Epigrāmatibus legitur, & eiusdem familiæ P. Licinius; notæ, etiā poetæ Martiali probitatis. Fuit & municeps noster C. Publicius Melissus: qui ob causas utilitasque publicas ex fide atque constanter defensas, statuam in foro Barcinoni meruit & iv. Vir eiusdem vrbis creatus est. Is magistratus ad Seuiratum postea auctus est. fuerunt & ex ea vrbe C. Iulius & M. Antistius homuncio, & amoenioris ingenii M. Conetius, & Calvius Paulinus; huic omnibus honoribus in R. P. sua summa cum laude perfuncto etiam statua posita est, curante Sergia Fuluinilla rarissimi exempli foemina. Sed & huius generis viro cui tamen Ilerdensi, Gal. Paulino, qui ab Hadriano Cæsare equo publico donatus est, statuam olim positam fuisse Tarracone cum titulo optimi, & in R. P. liberalissimi ciuis nunc etiā inscripta marmora ostendunt. Nobilitata fuit & olim monumento clari adolescentis Sp. Pomponii magistri equitum quis sub Afranio meruit. Eius epitaphium circumfertur sub his versibus.

BELLO SERTORIANO  
VSCEPTO VVLNERE  
A CÀLLAGVRITANO HICIA.  
QVEM EXTEMPLo FODI  
ACQVIRENDÆ VALITUDINIS CAVSA  
BARCINONEM PETII  
AESCVLAPIO VOTA VOVÍ  
TEMPLVM INGRATO  
VT FIERET, STATVI:  
MORTE IMMATVRA. MÈ  
INTERCIPIENTE A. VALI-  
TVDINE ET AB AVRA ADOLE-

*Clari ciuii  
Barcinonæ  
ses.*

*Viri illustres  
Barcinonæ.*

*I. 2.*

*3.*

*Lib. 1.*

*4.*

*5. 6.*

*7. 8.*

*9.*

*10.*

*11.*

*12.*

*13.*

*14.*

*15.*

*16.*

*17.*

*18.*

*19.*

*20.*

*21.*

*22.*

*23.*

*24.*

*Qui, ne sis  
nesciis, ple-  
raque confin-  
xit Epigrā-  
mata.*

*1. 2. 3. 4. 5.  
Scriptores  
Barcinonē -  
ses. 6. 7.*

*8.  
9.  
10.  
Barcinonen-  
ses. Martires*

Hoc ipsi epigramma alicubi fortasse Barcinoni latens vel iam perditū minime legimus sed eius testimonium habemus Cyriaci Anconitani, epigrammatum per orbem sane diligentissimi collectoris, cuius ad nos sex haud parua volumina peruererunt. In hac quoque urbe erectus fuit olim fornix à M. Aurel. Antonino Faustinæ Augustæ: cuius adhuc Epigramma in marmore cernitur. Post Constantimum sub Theodosio claruit L. Dexter historiarum scriptor, Prefectus Prætorio, cui Hyeronimus libellum de illustribus Christianis dicauit. Sed nec caruit sanctissimis viris, Religionem nostram professis, & qui Pontificatum sub primitiis Christianorum conuentibus in ea vrbe prouidentissime tenuerunt. Quorum habentur egregii L. Victor Aei, Alexander, Theoticus, & mox sub Theodosio superiore Pacianus, cuius adhuc ara colitur, vir, ut ait Hyeronimus, castigata eloquentia illustris: & ab hoc Seuerus & Idalius huius sanctissimi senis pauca quædam per interualla podagræ, scripta legimus. Ornavit & hæc tempora antistes Olympius, cuius persigni exemplo Pontius Paulinus Aquitanicus sacris nostris in hac urbe initiatu, ad Pontificatum Nolanum assumptus est: huius extant epistolæ ad Licentium Poetam, Aurelii Augustini alumnum Religionis & humanitatis plenæ. Assertores etiam usque ad necem habuit sacro sanctæ Religionis Eulaliam virginem, & Euphratrem Arabem aduenam, & hos Diocletiani temporibus: qui sub falsa suspicione immissti per Christianos in Nicomediam incendii, persequebatur toto orbe insontes, similis etiæ occasio Neronem olim ut in Christianos se uiret mouerat, sed alia causa Decianæ persecutio nis fuit, quod ipse Decius Caesar ærarium Romanum spoliatum ab Imperatore Philippo adolescenti diceret, profusionibus factis in Fabium Christianorum antistitem, qua ratione & diuus Laurentius Celsiber thesauri Pontificii & à Fabiano in Xistum transmissi custos, diris, variisque cruciatus affectus est: & cum sempiterno nomine finem vitæ adeptus: cui merito ex Coelibus soli Roma quinque quæ cernimus, per celebrata templa dicauit. Eodem quoque supplicio indigne necati sunt in hac urbe Anastasius Ierdensis, vir Equestris ordinis, ex eiusdem que Diocletiani aula & alii quidam, tametsi nonnulli apud Betulonem oppidum Barcinonis littori proximum occisos tradant. Sed iam ad temporum seriem reuertamur.

Irruentibus sub Honorio & Theodosio in Hispanias Barbaris, captaq; & diruta à Vandalo eius tractus insigniore urbe Tarracone, succreuit habitatoribus Barcino: partuit post hæc Goticæ genti, & Alanis, ut reliqua Hispania. Quo tempore Ataulphus Gotorum Rex, Theodosii imperatoris muti gener; quia in mores Romanos propter coniugem mitescerbat; conspirante clama Vallia, dolo suorum ibi interfactus est: Creditur a nonnullis vestigia quædam columnarum & antiquorum ruderum, quæ in paradiſo sublimiore urbis parte videntur, sepulcrum olim Ataulphi sustinuisse: pars reliquias arcis, alii porticus arbitrantur: Fama vulgi habet Herculem ibi monumento conditum. quæ opinio scriptis Salustii iuuatur: nam hic in Hispania Herculem sepultum fuisse Afris & Iberis persuadum testatur. At Barcinoni sub ditione Gotica, augescente populo suburbanæ domus constructæ sunt, interque maiores Hispaniæ vrbes habita est, nam & sedem tum ibi Goti, quæ postea Toletum translata est, atque à Lusitania ad citi Alanis constituerant, idoneam rati ad tutelam Pyrenæi, simul & maritimos exercitus inde facile in Italianam vel Numidiæ littora mittendos: ex copia item materiæ, ad construenda nauigia accedente commoditate extantis tunc portus. Quodque Barcinon in Baeticam per maritima, vel in Celtiberiam & penitiorē Hispaniā per mediterranea euntib; atq; redeuntib; quasi obuia ad utrumq; iter occurrit: unde existimatum est à non vulgaribus propter consistentē tum maxime in ea regione Alanam & Gotorum gentem, inceptos appellari *Gotalanicos* populos: qui nunc *Catalani* dicuntur. Etsi quidam ab Angario quodam, cognomento Catalone, Germanorum duce dictos fuisse scribant; quem ante Caroli magni tempora non legitimo exercitu, ut Sarracenos pelleret, Hispaniam intrasse tradunt, militibusque suis *Catalanorum* nomen indidisse; & paulo mox dum Emporias urbem obsidet, occupuisse. hunc ducem quidam non Germanicæ, sed Gallicæ gentis fuisse ferunt è Catalaunica regione singulari prælio memorabili. Superiora sane astruere illius temporis scriptores videntur: qui usque ad Caroli Calui tempora hanc regionem Hispanicam Goticam & prouinciam Narbonensem Gallogotiam appellant. Sed iam Getarum tempora reperamus; Goticam deinde gentem post ducentos annos in mores Latinos pene transformatam, sed diuturna pace præsegni plurimoque luxu & variis ac flagitiis etiam libidinibus eneruaram; euertere Sarracenorum, quos nunc diximus; & Maurorum permistum genus. Itaque notissima Roderici

Roderici Regis clade, Barcinon capta, peræque ut cæteræ Hispaniæ vrbes, acerbe quæsata est, nam præter Cantabros, Astures, atque Pyrenensem aliquas gentes, quas vix locorum asperitas est tutata, vniuersa Hispania in Mauroarabum ditionem peruenit: mirumque profecto visum est, ut quam Romani prouinciam olim continuis ducentorum annorum & calamitosissimis bellis vix bene subegerant, qui eam Barbari petrægua quindecim mensium mora in seruitutem redegerint: Quinimo nec latis Hispaniæ finibus contenti, sed Pyrenæum transgredientes, & Aquitaniam, & cuncta inferiora usque in Arelatem obtinuere. Tanta fuit aduersantium syderū virgens potestas: vel diuinæ potius mentis in degeneres à maiorum moribus populos aperta punitio,

10 Recepta deinde sub plurimæ famæ Carolo & Ludouico Augustis Barcino à principibus gubernari cœpit, qui Comites appellati sunt: & ciuibus rursus augeri, militiam magis quam commercia exercentibus. Quorum præstantia Comites bis à Sarracenis captam Barcinonem receperunt: ac longe lateque et si parua manu, dominatum auxere, continuis bellis innumeros Barbarorum exercitus profligantes. Tarraco primum quæ à Gotis parum, & à Sarracenis plusculum instaurata fuerat, subinde & Dertosa commerciis opportuna & Ilerda, claræ vrbes à iugo Mauroarabum pereos liberatae sunt & Catalanorum nomen vulgatum quorum Barcino metropolis fuit semper, vtque summatim magna & multa perstringamus, à fauibus Iberi Niceam usque, sub alpibus Imperium pertulere. Sed ne Catalanorum res etiam in Africa & Oriente splendide gestas texere videamur; quod sequeute vita, alterius & protensiōris erit operis, ad vrbum duntaxat nostram redēamus.

15 Iunctis Aragonensium & Catalanorum imperiis sub Innocentio II. conspicua suscepit incrementa: captis præsertim Balearibus, pulsisque à præculo agro Valentie Afris: quo tempore mercaturæ pariter & militiæ intenta Barcino, breuique hostium spoliis & commerciorum lucris amplificata, inter primas Hispaniæ iterum & celebriores Europæ connumerari cœpit: continuata usque ad nostra tempora gloria. Siquidem in omnibus & grauissimis bellis quæ in Sicilia, Sardinia, atque Italia, lateque per orbem à Regibus Aragonum fœliciter gesta sunt, naualibus maxime præliis præcipua auxilia Barcinoensium fuere prorsus nec ullæ sine eis partæ victoriæ. Auxerunt nomen facultates, nauigatio & libertas, senatus, populoque à regibus ob ingentia merita concessa; item religionis & iustitiae obseruantia, ad hoc publicæ rei priuatæq; cura laudabili adiuta parsimonia, & conservatrice Imperii concordia, expurgataque in primis ciuitate, velut dulci reip. pernicie otiosorum incolati.

Plurima & per pulcra quorundam ciuium nostrorum belli & pacis facinora iam nos Pompili, sollicitant ut pandantur. Sed ea vberiori operi Catalanicæ historiæ reseruamus ad iudicæ gubernationis formam transeuntes.

Post Punicam dominationem, cuius nihil liquidi exploratum habemus, legibus, paruit Barcino, primum Romanis, quibus per Gotos exactis, intrusæ Barbaræ, lingua tamen latina promulgata, in quibus Romanæ vti petricose atque ambagiosis subtilitatibus inutiles abrogantur: & in eisdem inter nationis Goticæ homines & Romanos (sic enim tum Hispanos appellabant) coniugia prohibentur, ne feritas gentis Romani sanguinis commissione mollesceret: quæ sanctio, longo post tempore mansuetatis Barbaris, sublata fuit: sub ipsis Comitibus alia leges subortæ sunt, rudi sermone conscriptæ, nec sententiis, vt plerisque videtur, satis coherentes; vacatibus utpote ea tempestate armis magis quam legibus incolis: quia manu Comitum omnia pene gubernantur: tum sub regibus adulta iam vrbe Romanæ leges à Iustiniano digestæ, restitutæ sunt: additis quibusdam municipalibus quarum studio dediti complures, iater primos legum peritos claruere: tametsi pauci vicunque periti nulla scripta reliquerint, forensibus omnino actionibus occupati: quæ acutissime atque exactissime in Barcinoensium foro etiam nuper aguntur.

Accedit grauitas, & libratum ahimi iudicium, quo ciues nostri præcipue commendantur. Hoc igitur tenore morum & serie legum, opibus & gloria florentem ciuitatem nostram pueri vidimus, eandem adolescentes multata fortuna labantem; sed nunc intestinis bellis attritam, opibus exhaustam, ciuibusque infrequentem, dolenter cernimus, atque utinam senes reuiuiscente videamus, quod cura quidem & beneficentia optimi maximique principis Ferdinandi, vt euenerat, haud desperare licet. Hæc bella, luxus, & ciuium discordie partim, (quibus opulentissimæ vrbes petiere) partim tenacitas libertatis, licentia principis læse pepererunt.

Summa bellorum ratio hæc fuit: nam singulares causas & subinde ærumnas & cruertos animales velle prescribere non est huius operis. Quare ad situm vrbis transeundum est:

*Vrbis statu.* Pristini oppidi muri vetustate notabiles, integri adhuc videntur, paulo editiore parte vrbis, cum quatuor duntaxat portis, nunc enim nouem sunt. In illarum turribus capitibus bubuli statuæ, dum conderetur vrbs, positæ fuere ad pacis atque imperii votiva signa. Hoc vetus oppidum, & quæ quondam suburbia fuerunt illi circumquaque addita, amplectuntur nunc nouæ vrbis muri: quibus insuper proauorum nostrorum temporibus adiuncti sunt ab occasu alii recentiores muri, quæ postea succreuerant pomeria claudentes: redditque vniuersa vrbis in plano iacens nouam faciem hemicycli, seu C. litteræ utroque capite apertum æquæ & tangens: vnde expugnatu difficultor fit: exposita per frequentes procellas hostili classe naufragiis: nec facile vel æstate, auxilia prohibente. Etenim tuius noctu, & haud raro per lucem inter numerosa hostium nauigia, auxiliarias naues littus vrbis subire vidimus in columnes: Mare ipsum nostra tempestate etiam aduersum ostenditur afflictæ vrbis, dum soluto veteri limite, obrutaque littorali area, vrbem petit, excusatque muros, & moenia intus aperit: vnde pulcherrimæ ædes tractandis commerciis, reponendisque temporariis mercibus ad littus positæ, vndarum pulsu concusse ruinam timent, & sat difficile est hybernos fluctus insanientis pelagi obicibus arcere. In quo tamen ardenti cura laboratur, obiecta immensitate molarum.

*Templa.* Intra vrbem tempora visuntur pulcra quidem & egregia, in primisque plurimo cleroque sacerdote ornata, interque ipsa tempora, vetusti operis ditii *Michaelis* apparerunt, populari peruigilio frequentatum: quod olim Æsculapio dicatum fuisse nonnulli arbitrantur: argumento afferunt, paumento inscriptos angues: ab aliis templum fuisse Louis existimatur, pari primariæ vrbis religione. Nam Tarraco eximio templo & cultu Louis enituit: hoc sane ex monumentis antiquorum lapidum patet, Mineruam templum habuisse Barcinoni, haud procul ab vrbis, Veneris ædes fuisse fertur, vbi fanum Diuæ Eulaliae Emeritenis antiquitate venerabile, à Christianis dictum fuerat, in quo sepulcra ciuium Romanorum ante demolitionem vidimus. Nam per superiora bellorum tempora, ne præsidium hostibus redderet, quod per obsidionem Gallorum euenerat, non ab que graui vetustatis dispendio à nostris dirutum est: sed nuper eodem loco erectum. Muri & domus vrbis ex lapide sunt qui in monte Louis, ab occasu vrbis prope iuncto semper renascitur. Viæ in ea non luto sordidae aut porticibus occupatae conspicuntur: sed nec cœlum protectis subgrundis aut manianis obtegitur, proinde nec ædificiorum frontispicia deformantur, quibus multas aliqui per celebres vrbes de honestati comperimus. Mons ipse ad decorum vrbis accedit & salubritatem, intercepta palustri aura absolutus vndeque & contra Zephyrum erectior cernitur, læto vinearum & arborum conspectu; probata in eo rubrica eruitur effosorum olim metallorum, vt multi autumant, index: Nec fontibus caret limpidissimis, aut viuacibus herbis: prospectu vero tam longinquo, vt quidam Balearicos montes inde, ægre tamen, sub Occasu aut Ortu solis cerni contendunt. Constanſ fama tenet ex remanentibus orta vestigiis, olim vrbis portum reddidisse montem, ventis Euro atque Austro interque hos medio, tutissimum: quibus plaga illa validius infestatur, hic postea siccus relictus est, refluente longius *Salo*, ideoque colonis fabricatio inchoata: famam confirmare Artemidorus videtur, quia it *Leletaniam* cuius caput est *Barcino* portibus frequentem fuisse: Sed & idem his versibus Anieni apte ostenditur in ora maritima.

*Et Barcinonum amenas sedes ditum  
Nam pandit illuc tuta portus Bracchia,  
Viuetque semper dulcibus tellus aqua.*

In summo montis specula est posita; vbi olim fanum fuisse Louis non pauci confessiunt. Nunc ædicularis habet annuis ciuium conuentibus, iucunde simul & religiose inuisas, inque iis proculdubio pulcro fonti vicina percolitur, Iuliano dicata, quam vetustate collabentem, L. Desplanus Archidiac. vir claritudine & generosa probitate prænites nuper instaurauit, fons ipse non prorsus abolita veteri superstitione, additur à plebe *fortuna fortis* festo. viii. Kalend. Iulias, per famam apparentium eo die Nympharum, verbena & filice coronatarum. interq; montem & Rupricatum flumen, quod per septem ferme millia passuum longe ab vrbis pelagus ingreditur, palustria loca sunt, frugifera tamen alicubi & pascuis non ignobilia, fluuius ipse vbi accrescit, pontis saepe vel impatiens est, vel mutato cursu fallax. Vrbs ameno magis quam fertili loco posita est, littore

satis profundo præterquam ad *Tastas*: hæc loca sunt contra littus ad octo ferme stadia, vbi arenarum dorsa inhibent atque irritant mare, vnde extra desurgere naues solent: Duos habet amnes, prædictū ab occasu & *Betulum* qui & *Betulus* dicitur ab ortu fluentem, propinquius, tenui altius: sed irrigationibus vtili, vnde riui per fossas & sulcos aquarios decurrunt in prædia, terreni & struclis operis molinas etiam citantes. Scatent & intra urbem frequentes putei, non improbae aquæ. Dicitur & aqua è fonte perenni per lapideos cuniculos in urbem, eque receptaculis & castellis per labra vel saltus in varia loca effunditur. Mulierum præterea peculiaris pulchritudo, & matronale decus lætiorem ciuitatem reddunt, vnde & tenacior manet. Torus & soboles fit generosior. Ambitus est statudiorum circiter xxv. eadem pæne dimensio est Neapolis Italicæ: sed Neapolis hodie ciue & aduenis plenior habetur, vtque Germanicæ gentis pulcerimas, sed gelidas vrbes relinquaremus Florentiam Etruriæ clarissimam urbem an pulchritudine & munditiis vincat Barcino iustissima hactenus dubitatio est huius sane situm præstantiore omnino esse propter littus & cæli apricitatem nemo inficiabitur. Ferunt Astronomi eā sagittario suppositam præcellenti Ioui domestico, interque multa urbis instituta ampliori, quam diximus operi inserenda. Ædilitiæ sunt & mercatoriæ leges, per has iudicium ex bono & æquo, & sub compendio redditur à Duuumiris, qui consules appellantur: vnde consulares leges dictæ sunt: quarum hac tempestate non in ea urbe modo usus viget, sed per cunctas fermæ maritimæ ciuitates nauticæ, & mercatorum controværsiæ huiusmodi legibus, vel ex his de promptis, summa cum auctoritate terminantur. Vtque Rhodias olim, ita plerique nunc per urbem *Barcinonias* leges appellant, Ædilitiæ quoque plurimis & in clitis urbis exemplo fuere. Criminum animaduersio ciuiliumque causarum notio per creatos à Regibus Magistratus, maiori ex parte exercetur Pontificalis fori iurisdictione excepta. Cura frumentaria & R. P. per Quinqueuiros hodie gubernatur, anniversario munere, adiunctis xxx duobus aut Centum Viris, si grauiora immineant. Ab hoc procerum ordine, admissa etiam nuper in partem senatus plebe decreta emanant. Creditum est popularem hanc admissionem initia ruinæ urbis nostræ parauisse, inepta ad gubernationem plebe, insolentia, atque indignitate imperandi, atque consulendi, tum de dissidia vel propter inuidiam nobilitatis promptissima & denique apta gubernari magis quam regere. Sunt & monetales, operumque & erarii Prefecti & scribz: ac plures alii magistratus nullæ iniuria historiæ tacendi.

Habet urbs insigne; publicam mensam depositoram, fidei, vel alienigenis & ignotis pertinacissime nullo periculo, culpaue aut mora excusabilis. Illud quoque imitandum: quod in multis speciosis urbis, & Romæ negligi miramur; in Tabellionem, Chirurgum, & medicinarium admitti neminem, nisi probatissimæ fidei examinatique curiosus exercitii: optima certe consuetudine, ne fides dolosæ aut imperitæ manui temere committatur.

Nec non & hoc à compluribus laudari vidimus, quod urbem nostram Iudeis nequam licet habitare, ut pote generi hominum sordido, libidinoso atque impudenti, & nisi *Iuda*. seruitute reprimetur, superbo atque crudeli: Ad hæc quod est gens fœnoris aliorumq; noxiorum Ro. Po. quæstuum profunde consecratrix: Quodque cæteros mort. Ium nec nescio quo singulari odio dolis atque fraudibus circumscribere conetur. Vnde nec hi, quorum maioribus Iudaica origo est, tametsi Christiani nominis, & forsitan probi, ad honores R. P. nostræ aut Tabellionatus, vel Medicinarum officia admittuntur: existimantibus cunctis per difficile maiorum mores, & vix obliuione generis exui posse: Sed nec Mahometice Religionis hominibus in eadem urbe præterquam seruis, commorari permittitur, ne pura religio, aliarum usu captis superstitionibus, depravetur: neue religionum & cultus in una eademque ciuitate diuersitas, inuidiam, odia, imposturas, & dissensiones, & clades interdum, atque exterminia R. P. pariat. Quod in Antiocheni & Alexandrina se aliisque clarissimis urbis etenisse, qui res gestas legerit, facile intelliget. Magnificant ciuitatem præterea populorum conuentus totius prouinciæ Catalanicæ, & urbiuum oppidorumque contributiones, à quibus urbs nostra ut Nobile caput, colitur & augetur: quorum numerum præter vicos plus quam quadringentorum esse, compertum est. Quas referemus regiones & oppida. Clariores habentur: *Gerundenses*, & qui *Emporitanorum* vberem & portuosam regionem incolunt, & his vicini prisci nominis *Ausetani* & *Iannipole*, fullonica noti: Interque conualles Pyrenæorum *Cerretaniae* antiquissimi Hispaniæ populi, in quibus Liuum Salinatorem oppidum condidisse perhibent, Sertorii temporibus, quod extat, perque Pyrenæum veteri Aquitaniae contermini, *Paliarienses*, nouæ appellationis: Tum *Sicuriani* aurifero amne perfusi & sub eis *Ilergetanicampestres*, qui & *Vrgellenses* di-

*Ilerda.* cuntur, littora olim versus *Leletanos* attingentes. In quorum finibus *Ilerda*, veteri historia & nunc litterarum Gymnasio clara posita est, fructifero solo, sed nebuloso per hyemem ccelo taxata; At sub *Vrgellenibus* versus maritima iacentes *Cumularii*, *Albimontani*, *Barbariensis*, conuallis. *Sigarienses* & pratenses habitant: & à latere *Cernarienses*: & variis ac candidi salis fossores *Cardonensis*. Item *Minoricenses* cum *Mediolanensibus* iuxta hos supra *Barcinonem* *Rubricatenses*, & sub latus *Vallenses*: atque ad oram *Barcinonis*, ab ortu *Mariini* & verso *Gerundam*, siluosi saltus incole: *Caprarienses*, & aurileguli *Tarnicola*: interque *Barcinonem* & *Tarraconem* libero prælati oppido *Penitenses*, ac deinde quondam primi *Tarraco*. & maximi *Tarraconenses*, cum eorum ameno agro olim *Suetano*, à magnitudine suum, ut quidam existimauere, dicto. In ipsisque *Catalanorum* finibus *Dertusani* positi sunt, & *Iberi*- *censes*. Itemque cis Pyrenæos *Catalanici* nominis in Gallia *Narbonensi* habitant. *Ruscinonenses*, nobilem agrum colentes: quorum hodie caput insigne *Perpinianum*, lanificio pollet, supraque hos ad radices *Pyrenæi* *Confluentani* sunt, fossarium & fluentium metallorum possessores. His ferme regionibus ac urbibus & aliquot clarioribus oppidis haud exatius, quam nunc conuenit, descriptis *Catalania* clauditur. Horum *Barcino* princeps est mater. Quaram gentium tractus in longitudinem ferme centum septuaginta millia, portigitur: Latitudinem vero, ubi maior centum triginta. Ab his olim gentibus deductæ ab *Ibero* amne usque in *Bæticam* plures coloniæ: quarum plane longe clarior *Valentia*, & in *Balearibus*, *Maiorica*, Regnorum sedes alio opere celebrandæ: & validum in *Sardinia* opidum *Calaris*, præterea, & in *Græcia* quondam percelebres *Athenæ* & *Zacynthus* insulae, & *Ieossium* in Africa *Catalanorum* coloniæ fuerunt. Vnde non temere quidam *Valentinos*, & *Maioricenses*, horumque regnorum incolas ab origine atque lingua *Catalanos* appellauere.

*Ager Barcinoensis.* Superest ut de agro *Barcinonensi* dicamus. Is ab antiquis *Leletanus* est appellatus, maiori tractu montuosus est, aut distinctus collibus: ideo non plurimi & ignobilis, ut olim, sed ubi cura adhibetur, laudati vini ferax: mutata posterioribus vitium cultura, matura- ta que ob densitatem multiferuoris mora, fertque oliuæ & fructuum pene omnium copiam qui arboribus nascuntur, sed & mellis & frugum, exiguo tamen in frumentis redditu, venationi quoq; & aucupio aptus est. Ex suburbanis salubriora habentur prædia procula litore ppter lacunas & stagna: quæ *Betulonis* & *Rubricati* ostia circumstant: Ideo, si liceat patria describenti vel minutioribus oblectari, laudantur villæ versus *Ortanos*, *Areolum* collem, & albas petras. Sylvas habet cæduas complures *Barcinonensis* ager. Quare & materia abunde præbetur structuræ nauium. Pinus in eo frequentissima nascitur, copioso fructu atque esui pergrato. *Artemidorus* *Leletanum* agrum bonitate præcellentem tradidit: ex-

*Muria Barcinoensis.* cedula enim omnia ibi orta sapidissima notantur: *Barcinonensis* quoque *Muriæ* conditura apud veteres in precio fuit. Hodie ut cernis, è *Barcineis* rebus præposci *Roma* solent cultrorum omne genus, qui ad mensas, qui ad tonstrinam & Chirurgicos, quique ad pugillares, & muliebrem quoque mundum pertinent. Sed quid non iam Roma exten- ne voluptatis ad se trahit: etenim leuia, & præmollia, quæ flaccida appellantur, stragula ab urbe nostra perferuntur; quo delicatius per hyemem cubare liceat: aduehantur & inde percandida, & versicoloria vasea vitrea, cum *Venetis* certantia, & exilia, quæ vocan- tur thoralia. Quod si quibusdam, quæ pauca sunt, vrbs nostra carere videatur, ea peregrinatur航行e supplentur. Itaque fit, ut habitatoribus vel ad delicias desit nihil. Habet

*Aqua calida.* & aquas calidas *Barcinonensis* ager in *Vallenium* regione ab antiquioribus recte memo- ratas: & quas plerique *Cerretanis* in *Roscionensi*, & his quæ in agro *Gerundensi* sunt prætulere. habet & marmoris optimi, & auti atque argenti fodinas ad *Senium* montem: quamquam *Tarraconenses* & *Saguntini* lapides ad pavimenta meliores, & ob cœlestem colorem gratiores putentur. Et metallorum effossiones quæ in *Feliceto* ad pagum *Argentarium* & mansiones rubras fiunt, hodie *Seniensibus* notiores sint. Hæc sunt loca, quæ decem ferme millia à *Maura* oppido *Iberi* absunt. Est enim *Hispania* cum multarum re- rum prouentibus felix, tum vel maximè omnium metallorum pene ubique ditissima. Testes fuere olim *Poeni*, & post deinde *Romani*, qui intimis atque supernis *Iberiæ* opibus præcipue adiuti: videlicet metallis, frugibus, materia, lino, sparto, vino, oleo, lana, sale, falsamentariis, corio, & equis, & pugnantibus denique ac vere viris, diuturna atque ingentia bella per orbem confecere. Extant etiam nunc pluribus in locis in vniuersam *Hispaniam* effissionum illorum temporum aperta vestigia, superioris & nostræ ætatis negligientiam, vel segnitiem accusantia: proinde & quotidiane illæ querelæ ortæ, aurum valorem indies augeri; liquidissima certe causa: cum aurum ubique gentium vel per lu-

xum consumatur ; & vbi plurimum gignitur intra fœcundissima montium viscera, non sapientiore contemptu, sed per ignauiam relinquatur : ad cuius profecto continuam egestionem non dicam captiuorum, sed facinorosorum per prouincias iugem atque ingentem numerum sufficere posse quis neget ? longeque Reipublicæ fore utilius, vt qui in tenebroso carcere miserabili otio squalent, vel ad remum damnati in adiumenta sè penumero piraticæ, & scelerum ministeria traduntur fructum aliquem publicæ rei in metallis eruendis, aliisque operibus publicis exēcendis, noxia corpora præberent. Nec hoc perspicuo exemplo caret : etenim reorum in primis opera prouidentissima orbis domina muros, templa, porticis, & thermas construxit: item portus, theatra, pontes, & palatia, quæ miramur, ædificauit : hac ratione longissima Italiam, diuersis viis latissime stravit, ac varios atque altissimos aquarum ductus stupenda longitudine continuauit. Appenninumque sexingentorum stadiorum producتو ponte vrbi coniunxit : vt remoti montis pulcerrimos fontes, vix accolarum haustu notos, quasi captiuos, per saltus, & aspera montium tractos sibi seruire cogeret. Sed nescio quo me pacto vrbis magnitudo à patria ad se reuocauit : Quare iam finis operi imponendus erit.

Hæc perstrinximus, Pompili, de vrbe, ex qua editi in lucem sumus, vtque amici genus non ignores, honestis maioribus : patre Iacobo Paulo Iureconsulto, ( si filius in re obscura testis idoneus est) consummatæ inter opes & gratiam Principum virtutis & doctrinæ. Te nunc inuicem accingi cupio ad id, quale me ipse rogasti: vtque nos strictim de vrbe nostra conscripsimus, tu quoque excelsæ tuæ, vel potius communis vrbis res iusto, sed clariori opere absoluas : mihi sufficiat amico simul & patriæ, quod debebam, vel tenuiter exsoluisse.

Barcinone anno M. CCCC. XC. regnante Ferdinando  
II. Castelle & Aragonum Rege.

E P I S C O P I E C C L E S I A B A R C I N O -  
N E N S I S .

- |      |  |  |
|------|--|--|
| 1. L | Vcius Victor, qui scripsit contra Ari-   | 16. Actius 2.                            |
|      | rianos.                                  | 17. Deus dedit. In tempore istius ædifi- |
| 2.   | Actius 1.                                | cata est Ecclesia Puellarum Sancti       |
| 3.   | Alexander                                | Petri.                                   |
| 4.   | Theoticus                                | 18. Guadallus                            |
| 5.   | Pasianus, qui scripsit contra Nouatia-   | 19. Gilasbertus nobilis                  |
|      | nos                                      | 20. Berengarius 1.                       |
| 6.   | Olimpius vir doctissimus                 | 21. Vmbertus, ex nobili familia Alama-   |
| 7.   | Ydaltus, qui plura scripsit.             | nii.                                     |
| 8.   | S. Seuerus, qui à Gothis clavo infixo in | 22. Bertrandus.                          |
|      | capite occisus est: fuitque unus ex 70.  | 23. Iuleus ex nobili familia Cardona.    |
| 9.   | Episcopis, qui condiderunt leges Go-     | 24. Berengarius 2. Ex Comitibus Barci-   |
|      | thicas.                                  | nonensib.                                |
| 10.  | Ioannes                                  | 25. Raimundus Guillelmus 1.              |
| 11.  | Adaulphus, qui dedit domum suam          | 26. Megarius Tarragonensis Archiepi-     |
|      | pro domo Episcopali.                     | scopus iste Tarragonem à Sarra-          |
| 12.  | Trominus, qui transportauit cor-         | cenis destructam cœpit reædifica-        |
|      | pus S. Eulaliz de Ecclesia S. Ma-        | re.                                      |
| 13.  | riæ matris ad Ecclesiam Cathedra-        | 27. Arnaldus hermengaudus 1.             |
|      | lem.                                     | 28. Guillelmus                           |
| 14.  | Guileranus                               | 29. Bernardus de Bega 1.                 |
| 15.  | Theodosicus                              | 30. Raimundus 2.                         |
|      | Petrus 1.                                | 31. Berengarius 3.                       |
|      | Vices                                    | 32. Petrus 2.                            |

33. Berengatius 4. Is cū Canonicis instituit  
domum caritatis, in tempore istius paro-  
chiali sancti Vincētii constructū est mo-  
nasterium de Iunqueres pro monialib.  
sancti Benedicti, & institutus est ordo  
merceriariorum in eodem tempore.
34. Petrus, de domo Centelles 3.
35. Arnaldus 2.
36. Bernardus 2. In tempore istius in paro-  
chiali S. Fausti erectum est monasterium  
de Monte alegre pro monialib. Canoni-  
corum regulariūm Sancti Augustini, &  
iste episcopūs & Canonicī concesserunt  
monasterium de Iunqueres magistro S.  
Iacobi de Spada.
37. Pontius
38. Geraldus de galba
39. Pontius de galba
40. Ferrarius, in tempore istius facta est se-  
cunda translatio Sancte Eulaliae ubi  
nunc est.
41. Bernardus 3.
42. Michael
43. Guillelmus de Torelles
44. Berengarius 5.
45. Petrus de planella 4.
46. Raymundus 3.
47. Ioannes 2.
48. Franciscus de blanes 1.
49. Franciscus 2.
50. Andreas Bertrandus
51. Franciscus Clemens 3.
52. Andreas 2.
53. Simon Saluator
54. Iacobus girat.magnus Theologus.
55. Ioannes de Soler. Theologus
56. Rodericus de Borgia
57. Gondisaluus de Heredia.
58. Petrus Garricas 5.
59. Henricus de Cardona.
60. Martinus Garcia.
61. Guillelmus Raimundus.
62. Ludouicus de Cardona.
63. Ioannes de Cardona.
64. Iacobus Cassador
65. Guillelmus Cassador
66. Martinus Martinez del Villar.
67. Ioannes Dimas Loris.

R E G V M  
ARAGONIAE SERIES, ELO-  
GIA QVE IMAGINIBVS SVBIECTA CÆ-  
SARAVGVSTÆ, A HIERON. BLANCA CÆSAR-  
august. CID. IO. LXXXVI. ad an. MDC. continuata.

*Suprarbienses Reges v i i.*



I. ARSIAS Eximini Dux strenuus, Regio Gothor. genere natus, deper-  
dita iam Mauror. irruptionib. Hispania, Aynsa capta, eos adortus, cum  
inito prælio cœleste signū Crucis rubei coloris aureo veluti in clypeo,  
supra arborem (vnde nominis ducta appellatio putatur) quercū videt-  
set, deq; ipsi Mauris victor gloriose triumphasset, Regio nomine di-  
gnus existimatus, primus Suprarbiensium Rex faustis omnium accla-  
mationibus est appellatus, anno CHRISTI DCCXXIV.

Regnauit ann. fere XXXIV. excessuq; è vita ad ann. DCCLVIII.

II. GARSIAS Innici 1. Garsiae Eximini F. Suprarb. Rex II. Regni fines, oppidis aliquot bel-  
lo partis, protulit longius: in his Pompeiopolis, Vasconum Metropolis, quæ hodie Pampe-  
lona: sed, vt sunt res humanæ fluxæ, non diu vrbe potitus, vitam cum morte commutauit:  
ad ann. DCCCI. Regnifere XLIV.

*Hoc tempore AZENARIUS vir armis præstans primus Aragonum Comes dictus.*

III. FORTVNIVS 1. Garsiae Inn. F. Gars. Eximini N. Suprarb. Rex III. non minus armo-  
rum, quam pater auusq; studiosus, bellis assiduis Mauros lacefuit: de quib. in Olca-  
sensi tandem valle manu conserta illustrem victoriam reportauit: Ad ann. Dom. DCCC.XV.  
Regni vero IIII. diem clausit extremum.

IV. SANCTIVS Garsiae Fort. 1. F. Gars. Inn. N. Gars. Exim. Pron. Suprarb. Rex IV. initio tam  
felici Marte depugnauit, totam vt sibi, debellatis hostib. Nauarram subegerit. Tandem com-  
missa pugna, à Muza-Aben Heazin Mauro Cæsaraugstan. Tyranno vna cum Garsia A-  
ragon. Comite v. victus sine liberis occubuit, ad ann. DCCCXXXII. Regnifere XVII.

Tunc primum multorum annorum Interregnum in quo vetus Suprarbiense ins conditum, Magistrusq; inter Regem, Regniq; incolas medius, qui post IUSTITIA Aragon. dictus est, institui cœpit.

**I**NNICVS Eximini F. Arista, paterno nomine appellatus, quod visis Mauris subito graui v. in eos ira odioq; exar desceret. Cum Pompeiopoli vrbi, vi trici olim manu partæ imperaret, à Suprarbiensibus spe statæ virtutis bellicæ nomine, Ara Suesti in oppido Rex v. salutatur, iudicisq; illius medii magistratu ex fœdere confirmato, imperium posteris mitifice stabiliuit, coelestisq; argenteæ Crucis insigni regio condecorauit. Belli deniq; pacisq; artib. clariss. vitam cum regno posuit ad ann. fere DCCCLXX.

**GARSIAS** Innici ii. Aristæ F. Suprarb. Rex vi. Pompeopolitanis & ipse imperauit. vi. Sed ad Larambe oppidum iter faciens, à Mauris ex infidiis oppressus, cæsusq; est cum Vraca coniuge, vltimi Aragonici Comitis F. vnica, ad ann. fere DCCCLXXXV. Regni vero x v. Cumq; Reginæ iactu mortuæ, qui gestabatur infans manum exeret, cæso matris vtero, viuus eductus, educatusq; est clam: & Sanctius Abarca dictus, post Fortunium fratrem natu grandiorem, primus Aragon, Rex inaugurator.

**FORTVNIVS** ii. Gars. & Vrracæ F. Aristæ N. patri hæres suffectus, vii. adeoq; vltimus vii. Suprarb. Rex. Nam Regium Aragonum nomen, quod à Kæsono fratre mox inuestum est, priscum illud Suprarb. antiquatit. In Legerensi tandem cœnobio monachi se votis sponte obstringens, Regno sex fere annos administrato abdicauit, ad ann. c. c. 51.

Hic secundum Interregnum annor. fere i v. Aragonia Comites sex.

**ZENARIUS** Azenarii F. Hædonis N. collecta sociorū in manu è Cantabria ad Pyrenæos VIII. penetruit, opem Gaii & Suprarbiens. Regi ii. Pöpeiopolim obfessuro, latus. Hic Mauris Iaccam vrbem epiens, eius, aliorumq; circa oppidorum ditione à Rego donatus, primus sibi Comitis Aragoniæ nomen vindicauit, ad posterosq; haereditatio iure transmisit. Annos complures rerū potitus, animi corporisq; dotib. illustris moritur, ad annū DCCXCV.

**GALINDVS** Azenarii Com. F. Aragon. Comes ii. paternæ dignitatis hæres, Iaccæ foro ix. constructo, Vrbii ius, formamq; dedit, eidemq; Magistratum, quem Merimum appellari voluit, præfecit. Ataresiam præterea, cæterasq; arces & munimenta, adhæc Acomueri in oppido Cercitense cœnobium sua pecunia ex ædificauit, ut non tantum fortis, sed & boni pīq; Principis munus nauiter obiisse videatur. Itaq; annos fere xx. bene gestæ Reip. laude insignis, vita, officioq; decessit, an. DCCXV. à partu Virginis.

**EXIMINVS** Azenarii Aragon. Comes iii. Gal. Com. F. Azenarii N. Azenarii cognomentum in aueratiam memoriamq; sibi adiunxit. De reb. gestis nihil memoriae proditu: illud si demas ferro cum Mauris fortiter dimicantem, nulla sobole relicta cecidisse.

**EXIMINVS** Garsia Arag. Com. iv. Azenarii primi Com. F. Eximino Galindi fratris Filio xi. successit. Cæsus & ille à Mauris imperauit non diu, vnioco hærede reliquo paternæ dignationis successore.

**GARSIAS** Azenarii Aragon. Com. v. Eximini Gars. iv. F. in demortui patris locum votatus, Azenarii cognomen & ipse, in primi Comitis memoriam assumpit. A Cesaraugust. illo Tyranno Mauro vna cum Sanctio Suprarb. Rege iii. interemptus. ad ann. Christ. DCCXXXII. reliquo Fortunio F. hærede, nullum interregno locum dedit.

**FORTVNIVS** Eximini vi. & vltimus Aragon. Comes, Gars. Azon. Com. v. F. hæresque xiii. Aristæ Regi necessitudinis vinculo, & sanguinis affinitate coniunctus, carus, acceptusque quod Vrracam vnicam F. Regis F. Gars. & nuptum dederit. In periculosa illa primi interregnæ tempora incidens, Reip. qua hodie tranquilla fruimur constituendæ suasor auctorique extitit. Per annos amplius xxxvi. Comitis dignatione florens, senex decessit ad annum fere DCCCLXVIII. Garsias Gener, post quem Fortunius N. Suprarb. Reges suo iam ordine collocati, hæreditatem adierunt. Hinc secundum Interregnum: quod Sanctius Kæso, N. & ipse, qui continenter sequitur, Regis nomine usurpato, clausit.

### ARAGONVM REGES xxi.

**SANCTIVS** i. Kæso, Gars. & Vrracæ Reg. F. Aristæ v. Suprarb. Reg. & Fortunii Com. vi. xiv. N. Fortunii monachus Frater, legitimusq; hæres repertus, latissimis Procerum populiq; acclamationib. ad Iaccam vrbē Rex salutatur, & Abarca cognominatur. Primus hic præclarum Comitum Aragoniæ nomen in Regis titulum ornamentaq; conuertit: finesq; imperii, domitis sepius cælisq; Mauris, longe lateq; propagauit. Tandem carus suis h. stib. vetero vel nomine ipso formidabilis, vitæ stationem deferuit, Regni fere an. xxviii. Christi ve- to orbis redimendo nati c. 5xxxiii.

**GARSIAS** i. Kæsonis F. Abarca identidem & ipse appellatus. Aragon. Rex ii. Optime xv.

administrata R. P. liberis, quas ex Theresia coniuge sustulit, Regno, quod ann. fere sex & xxx. otii, pacisq; publicæ studiosus tehuerat, cessit, an. Dom. ccclxxix.

**xvi.** SANCTIVS II. Garsiae i. F. Kæsonis N. Aragon. Rex iii. nunc Abarca, interdū vero Galindus dictus, patre vita functo, Regiam potestatem naestus, autæ fortitudinis æmulus existit, Prole ex Vrraca Ferdin. coniuge suscepta, moritur, Regni fere xx. ann. Christi vero ccicxc.

**xvii.** GARSIAS II. Tremulus, Sanctii ii. F. Gars. i. N. Kæf. Pron. iv. Arag. Rex, Abarca & ipse interdum cognominatus, virtute clarus extitit, Regniq; clavo admotus, rebus præclaris gestis, assiduisq; cum Mauro bellis \* exercitus, demum vitæ laboriosæ, etiunq; plenæ cursum, Regni anno x. confecit: quo tempore natu seruatoris millesimus agebatur.  
por exercitado.

**xviii.** SANCTIVS Tremuli F. natu maior Sanct. ii. N. Gars. i. Pron. Kæf. Abn. Arag. Rex v. Hispaniæ imperauit. Filiis regna partitus, Ranimiro, Aragon. Regnum concessit, coniugis nouercæ precib. victus, quod pudicitię illius custodem se propugnatoremq; aduersus fratres obtulisset. Denique parta Reip. quiete, annonæ copia, rerumq; omniū vbertate, cum Pompeiopoli, Aragoniæ, Suprarbio, Ripacurtiæ, Vasconiæ, Alanæ, Castellæ, Asturiis, Legioni, & Asturicæ tranquille imperaret, latus excessit A. D. xv. Kal. Nou. an. cīcxxxiv.

Regnauit an. xxxiiii. Mens. ix. Dies xiiii.

**xix.** RANIMIRVS I. Christianissimus Sæct. maioris f. Tremuli n. Sanct. ii. Pron. Gars. i. Abn. Kæf. Atn. Aragon. Rex vi. Cum Christianę Religionis (vnde Christianissimi cognomen) cultum ceremoniasq; ex Rom. Eccles. sanctiionib. multor. Episcopor. ad Iaccā habitu Concil. curauisset: Suprarbiensiq; Ripacurtiensi, ac Pallariensi ditione quæstra, imperi terminos protulisset, ad Gradus arcē pugnans, tandem occubuit, A. D. vii i. Eid Maii. Ætatis lx. Naturalis Dom. cīcxlxiiii.

Regnauit an xxviiii. Mens. vi. Dies xx.

**xx.** SANCTIVS IIII. Ranimiri i. f. Sæctii Maioris n. Tremuli Pron. Sæct. ii. Abn. Gars. i. Atn. Kæson Trin: Aragon. Rex vii. gestar. rer. gloria clarus Pompeiopolitan. Regnum adeptus, fusis sæpius fugatisq; Mauris opida complura amissa recuperauit. Sed Osca celebri Vescitanæ vrbe castris obfessa, dum mœnia speculabundus obequitans explorat, sagitta eminus emissa, latus confixus interiit, prid Non. Jun. an. nat. xl ix. Natal. Christi cīcxciiii. Regni an. xxxi. & Dier. xxv.

**xxi.** PETRVS I Sanct. iii. f. Aragon. Rex. viii. in ipsa Oscæ obsidione paterni imperii successor, post non diu insignem illam Alcoracensem victoriā victoriarq; clarissima, quæ ad posteros transmissa visuntur insignia, reportauit: quatuor nimirum Mauror. Regum capita abscessa, hinc illinc. S. Georgii Crucis apposita: qui exinde Regni tutelaris Diuus religiose colitur. Capta denique Osca, gloria nobilis, atque omni genere virtutum excellens, iure optimo, Pius, Fæelix, Victor, & Maximus appellari cœpit. Annum iam agens xxxv. suæ liberis excessit è vita, A. D. i v. Kal. Oct. an. cīccliv.

Regnauit ann. x. Mens. iii. Dies xxvi.

**xxii.** ALFONSVS I. Bellator Sanct. iv. f. Petri i. frater Aragon. Rex ix. Hispaniæ Imp. Caesar Augusta hac nobilissima Sedetaniæ Metropoli, quam Mauri annos fere cccc. seruit 40 oppressam tenuerant, expugnata, victos fugatosq; in Bæticam usque cedendo persecutus est. Tandem qui vnde trices collatis signis fœlici semper Marte superior discesserat, ridiculo quodam certamine, dum audacius quam cautius in hostem pugnare studet, ad Galliam Flauiam cecidit nullo hærede relicto, A. D. vii. Eid. Sept. An. Christ. cīcxxxiii.

Regnauit ann. xxviii. Mens. xi. Dies x.

*Hic tertium mensis i. interregnum, quo Pompeiopolitanus eorum à nostris in  
Rege deligendo consultarunt.*

**xxiii.** RANIMIRVS II. Monachus, Sanct. iv. f. Pet. & Alf. Reg. frater, ex Tomariehi monacho Episcopus, post Rex Aragon. x. creatus, cum se regio sceptro facibusq; ineptū modeste iudicaret, Raymundo Barcinon. Comiti, cui Petronillam gnatam unicam despôrat, de summa re, regniq; administratione concedens, quod reliquum vitæ fuit sacris rite operatus, in diuinarum rerum meditatione consumpsit. Vixit annos liii. Obiit A.D. xvii. Kal. Sept. Ann. Christ. cīcxlvii.

Regnauit an. xiiii. Mens. xi. Dies xxii.

*Hic primum Arag. regnum fæmine delatum.*

**xxiv.** PETRONILLA Ranim. ii. filia, Arag. Regina xi. vxor Raymundi Berengarii Barcinon. Comitis;

Comitis: qui cum magni & excelsi animi princeps, manu promptus, & strenuus existeret, virtusq; ditionis coniunctione, multisq; oppidis bello partis, commune imperium iusque amplificauit: quod regina, magni consilii foemina, ex, A. D. VIII. Eid. Sextil. an. CICLXII. quo maritum quinquagenarium amisit, filio, posterisq; saluum & incolume seruauit: ipsa quoq; A. D. III. Eid. Oct. annos nata XXXVI I. fato concessit, ann. CICLXXII.

Regnauit ann. XXV I. Mens. I. Dies XXVI.

*Hūs nuptiis matrimonii tabulis ex pacto conuent. Barcinonens. insignia Regius Aragonensium insignibus preferri cæpta.*

**A**LFONSVS II. Castus, Petronillæ Reginæ & Raymundi Com. F. Aragon. Rex XII. XXV.  
A patre etiamnum superstite patrio nomine appellari solitus: Hic bellica laude præstas, & quod mireris, castitate, continentiaq; insignis. Inter cætera oppida Turolium expugnauit, cui nouas Sepuluedæ leges concessit, Annum agens XLIV. vitæ pertæsus, ad superos migravit, A. D. VII. Kal. Maii. an. CICXCVI.

Regnauit ann. XXII. Mens. VI. Dies XII.

**P**ETRVS II. Catholicus. Alf. II. F. Aragon. Rex XIII. Romæ ab Innocentio Pont. XXVI.  
Max. corona imposita, hic dum Vbedensi illo memorabili prælio præsens adesset, periculum socius, cum Nauarræ & Lusitanæ Regib. à Castellano Rege aduersus innumerabiles Maurorum copias accersitus. cum singuli hoste cæso prædæ loco abstulissent, Nauarrius insignia, Lusitanus spolia, & Castellanus victoriæ laudem, quasi debitū labori præmiū depoposcisset, hic graue vulnus, quia pro fidei Christianæ amplificatione accepisset, rebus illis caducis prætulit, maioriq; honori duxit. Laude itaq; & gloria illustris, in Murematandem obsidione Eidib. Sept. est interfactus, ætatis anno XL. Christi CICCXIII.

Regnauit ann. XVII. Mens. IV. Dies XIX.

**I**ACOBVS I. Expugnator. Pet. II. F. Aragon. Rex XIV. Murtiensis, Balearicus, & Valentinus dictus. Is cum puer etiamnum turbulentam, ac pæne collapsam R. P. accepisset, senex tranquillam & iam pridem præclare constitutam, legibus armatam, trophæis ornatum, Provinciis austam, delubris ad bis mille in Deipara Virginis honorem ædificatis illustratam: ac Granatæ Tumissi & Tremissi Regum vestigalibus locupletato ærario, diutinem, deniq; magno sui desiderio morte obita æstuantem reliquit: A. D. VI. Kalen. Sext. An. Dom. CICCLXXVI. Quamvis enim LXXII. ætatis excesserat, immatura tamen omnibus viamors est.

Regnauit an. LXII. Mens. X. Di. XV.

**P**ETRVS III. Magnus, Iac. I. F. Arag. Rex XV. excelsi atq; inuicti animi Princeps, patre vita functo, sacro oleo inunctus est: Siciliam regno adiecit: generale priuilegium concessit. Deniq; Philippum Gallorum regem insolenter magno exercitu in Catalauniam irrumptentem, paruis copiis repressit, fregit, ac debilitauit: in fugamq; re infecta ac moribundum conuertit: sed non diu tantæ & victoriæ & gloria superbes, moritur & ipse A. D. IV. Eid. Nouem. ætatis quidem XLIX. anno Christi CICCLXXXV.

Regnauit an. VIII. Mens. III. Dies V.

**A**LFONSVS III. Beneficlus. Petri III. F. Aragon. Rex XVI. cum ceteris virtutib. XXIX.  
ornatus, tum beneficentia clatus, patrum regnum, titulosq; excipiens, cum hac ipsa in vrbe regium diadema accepisset, de connectendo, quod pæne temporis iniuria dissipatum erat, patrimonio, præclaras leges tulit: vniuersis, vt vocant, priuilegia indulxit. Tadem annos natu XXVII. cū Eleonorâ Anglia regis F. pactas facere volens nuptias, pestilentia morbo corruptus immature, & absq; hærede præreptus est A. D. XI. V. Kal. Quint. An. Salu. CICCXCI.

Regnauit an. V. Mens. IV. Dies XV.

**I**ACOBVS II. Iustus. Petri III. F. Aragon. Rex XVII. in Sicilia patri cum adesset, hoc XXX.  
ego donatus, à nostris inde ad Regis munia obeunda euocatur, quod Alf. frater infastis nuper in nuptiis decessisset, (vt pro Epithalamio Epitaphium positum iam esset, ductumq; funus magna nobilium celebritate, & luctu.) Vrbem itaq; hanc ingenti pompa ingressus; regia tiara insignitus, Regnique gubernaculis admotus, Iustitiaz, æQUITATISq; persudiosus, diu fama gloriaq; illustris imperauit, ann. XXXVI. Mens. IV. Dies XIV. cum rebus domi militiaeque præclare gestis abiit è vita postridie Kalen. Nou. Christi Natalis an. CICCCXXVII. Vixit autem LXVI..

**A**LFONSVS IV. Benignus, & Pius. Iac. II. F. Rex Aragon. XVII. Patri suus hæres suffectus, cum vniuersum iam regnum, pace tot tantisq; bellis parta frueretur, initium capessendi illius in augusta hac vrbe; festorum; ludorumque celebritate, (dum insignibus

potentia dignitatisq; regiae maiori quam antea vñquam apparatu, & pompa coronari vult) cohonestauit. Cæterum cum miti admodū placidoq; ingenio esset, boni & benigni Principis nomen adeptus, in ipso ætatis flore xxxvii. agens, diadema, vitamq; posuit A. D. ix. Kal. Februar. ann. à nato Christo ccccxxxvi.

Regnauit an. viii. Mens. ii. Dies xxii.

**XXXII.** PETRVS IV. Cerimoniosus, Alf. iv. F. xix. Aragonum Rex, septimestri partu editus (qui aut non vitalis, aut insignis ad omnem morum deformitatem existere putatur.) Simul atq; regni clavum tenere cœpit, more maiorum & ipse coronatur. Qui nisi suorum se sanguinie fecdasset, aliis plurimis gloria vel æquaretur, vel præferretur potius. Vnionis, quæ vocant Priuilegia pugione, quem semper circumferebat, rescindere conatus, cum è digito sanguinem eliciisset: Par erat, inquit, vt quæ tot virorum sanguine constitissent, non nisi Regis istu conciderent. Postea crudelis ingenii posita feritate, maximis sibi Remp. beneficiis deuinxit, amore inq; conciliauit ad senium enim post diuturnum regnum peruenit, annos natus vnde septuaginta. Obiit postridie Non. Ian. An. Christi. cccclxxxviii.

Regnauit an. li. Mens. xi. Die. xviii.

**XXXIII.** IOANNES I. Pet. iv. F. Aragon. Rex xx. Patri ingenio dissimillimus: Quo composito, elatoq; magnifica pompa, Regnū, regniq; decus tiaram accepit sed à publicorum negotiorum mole natura abhorrens, cum miro venandi ferasq; insectandi studio teneretur, mascula prole carens, in ipsa venatione ex equo delapsus, mortuus est repertus A. D. xiv. Kal. lun. ætatis ann. xl. Chr. vero cccccxcv.

Regnauit ann. vii. Mens. iv. Di. xiii.

**XXXIV.** MARTINVS Petri iv. F. Aragon. xxi. Rex à Ioanne fratre ex testamento institutus, Regia ornamenta cum Maria Luna coniuge summo Procerum consensu laetitiaque suscepit. Filius utriusq; Martinus & ipse dictus, cum Siciliæ rex inaugurate. A. D. viii. Kal. Sext. an. Chr. cccccix. pestilentis vi morbi oppressus ad Callarem sine sobole legitima obiisset, pater filio, (cum hic illi naturæ lege deberet) succedens, Siciliæ regnum, Ducatumque Athenar. & Neopatr. Regno Aragon. pro cumulo adiecit. Nec diu post & ipse patens vix annor. xliv. sine liberis decessit prid. Kal. Iun. an. Chr. cccccx.

Regnatum an. xv. Die. xi.

Hic quartum Interregnum annor. ii. dierumq; xxv.

**XXXV.** FERDINANDVS I. Honestus. Ioan. Cast. Reg. F. Pet. iv. ex Eleonora filia, Ioan. i. & Matt. Reg. sorore N. ad Caspas select. Iudic. sententiis A. D. vii. Kalend. Quint. anno Do. cccccxii. Aragon. Rex xxii. renunciatus, regno inaugurandus urbem hanc alacri ac laetus ingreditur. Biennio post constituta pacataque Repub. diademate regio insignitur. Si firmiore corpusculi valetudine diutius imperare potuisset, nulli maiorum gloria concessisset: verum morbi, qui cum multos iam annos confluxerat, dolore vicitus, in medio ætat. cursu anno xxxvii. decessit, A. D. iv. Non. April. à Christo nato cccccxvi.

Regnauit ann. iii. Men. ix. Dies vii.

**XXXVI.** ALFONSVS. Sapiens, & Magnanimus Ferd. i. F. Aragon. Rex xxiii. Neapolitan. Princeps patre, aeo, maioribus illustrior, sic claruit virtute, doctrinaque singulati, vt, cum vtraque re longe aliis præstaret omnibus vtra sibi ipse præstiterit, incertum relinquat. Doctorum hominum tanquam Mæcenas alter, insignis patronus: vt plures sapientia laudatores nemo repererit. Primus in hac ipsa aula Ioanne fr. Prorege vicem gerente Comitia habuit. nam tametsi Italicas diu rebus occupatus hinc abesset, urbem tamen ornandam, magnificeitia hac ædium, & ingenti pontis lapidei exædificatione, Regii denique valetudinarii ad pauperum CHRISTI curationem substructione, liberaliter curauit. Tandem domi, militiæ, terra, mari, clarus ann. lxv. in spem resurrectionis acquieuit, sine legitimis liberis. A. D. iv. Kal. Quint. ann. Dom. ccccclviii.

Regnauit ann. xlii. Di. xxvi.

**XXXVII.** IOANNES II. Ferdinand. F. Alf. v. fr. Aragon. Rex xxiv. ea fuit animi magnitudine, iure vt Magnus cognomento dici queat. Et vero si eandem ingenii sui vim in externis bellis gerendis intendisset, quam in ciuilibus domesticisque industria, laborisque patientia consumpsit, posset sane vñus rebus præclare gestis aliorum retro Principum laudibus adæquari. Hic senio fessus, ac militaribus fractus laboribus (quos s̄epe, quasi gregarius miles esset, immensos tolerauerat) in ipso flore ætatis, quam & in octogesimum alterū annum produxerat, interiit, A. D. xiv. Kal. Feb. Ann. Chr. cccccclxxix.

Regnauit

Regnauit an. 21. Mens. 2. dies 25.

FERDINANDVS II. Catholicus Ioan. II. F. Aragon. Rex 25. Isabella Castellæ Reg. matrona lectiss. vxore ducta, commune imperium maximis ac præstantissimis rebus illustravit, amplificauitq; Sic autem de omni Aragon. R.P. de Optimatibus, de militibus, de domesticis, de ciuibus, denique de omnibus est meritus, iure vt, qui Illiberitanus, Africanus, Indicus, Neapolitanus, & Cantabricus est dictus, idem Pater patriæ Prudentiss. vigilans Benigniss. adeoq; Optimus appellari à nobis & possit & debeat. Nullo suscepso filio, Karolum ex Ioannagnata vnica N. regni hæredem instituit, cumque 64. an. attigisset, publico luctu & diuturnis lacrymis cohonestatus effertur. A.D. 10. Kal. Febr. Nat. Chr. 1516.

Regnauit an. 37. dies 4.

KAROLVS Austriacus Max. & Fortiss. Maximil. Rom. Imp. ex Philib. F. Ferdin. vero Cath. reg. ex Ioanna gnata N. Aragon. Rex 26. Rom. imp. eius nominis V. Aug. & Inuictus. Hic Hispaniæ regno suscepso, Turcam fugauit, Gallorum regem & Saxonū ducem captos vicit, Italos domuit, Afros superauit, hæreses debilitauit, Gandauenses ciues suos tumultantes repressit, Indos subegit, vt VLTERIVS quam Hercules, positis ad fretum Gaditanum columnis, rerum gestar. gloriam propagarit. Tandem humanæ sortis, vitæq; pertæsus, gloriam adhuc excelsiori animo fugiens, Regnis sponte se abdicauit. Et in D. Iusti Hieronymianor. sodalium cœnobium, vt quod reliquum vitæ erat, religiose transigeret, secedens, triennium ibi in cœlestium rer. meditatione consumpsit. Deniq; morte laboriosè vitæ digna pie obita, in beator. sedes emigravit An. D. xi. Kal. Oct. an. Seruat. 1558.

Vixit an. 58. Mens. 6. dies 28.

PHILIPPVS I. Kar. V. F. Ferdin. Cathol. regis Pron. Aragon. Rex 27. Omnium ætatum ampliss. Imperii Monarcha, Triumphator, & Pacificus: Summus Catholicæ fidei Religio- nisq; maiorum defensor, ad eam potentiæ maiestatisq; amplitudinem Dei Opt. Max. benignitate peruenit, cum orbis terræ globū, vt QVI ESCAT ATLAS humeris solus sustineat, vt iam gloriæ domicilium, non Atlantici Oceani, Chinensis aut Zurii maris, sed ijdē ipsi, qui solis cursum termini definit: Meritorum vero in Ecclesiam Cathol. omnemque Christian. Remp. memoria in coelum usque secundis piorum votis penetrarit, mercesque maneat sempiterna. Tandem plenus dierum febri ardenti correptus A.D. XI. Kal. Quint. extinctus est. Id. Sept. an. Red. 1598.

Vixit an. 71. Mens. III. Di. 22.

PHILIPPVS II. Philippi. I.F. Karoli. V. N. Arago. rex 28. quemadmodum regnum & nominis, sic virtutis paternæ hæres, potentissimus orbis dominator, cui quanta Cathol. religionis cura, quantū sit conciliandæ pacis studium, testantur hactenus vicina regna.

## CORDVBA

# AB AMBROSIO MORALI

## CORDVBENSIS DESCRIPTA.

*De Corduba Urbis origine, situ & antiquitate.*

ORDVBÆ quidem urbis originem, situm, eiusque mutationes, cum reliquis quæ ad eius antiquitatem peruestigandam poterat pertinere: in eo opere quod de Hispania antiquitatibus historiæ nostræ adiunximus, plenius sumus prosecuti. Inde hue nonnulla transferemus.

SIT A est *Corduba* in ipso ferme Bæticæ prouinciæ mediterraneo, atq; in his eius populis, qui *Turduli* ab Ptolemyo, Plinio, & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Bastulos seu Bastetanos usque protenditur: ab occasu Turdetanos contingens, Hispani tractu terminatur. Habet ad Meridiem late patentes campos, qui ad Mediterraneum mare, & Herculeum fretum expanduntur. Qua vero parte Septentrionem *Corduba* spectat, posita est ad ipsas Marianorum montium radices: quos nunc Hispani prisco nomine corrupto, *Sierra Morena*, hoc est Morenos montes dicimus. Ea vero horum montium pars,

quæ *Corduba* imminet, aut saltus *Castulonensis* est portio, aut cum eo ad ortum coniungitur. In his mōtibus, auctore Plinio, *Beturia* regio, à *Beti* flumine nomē accipiens, in duas regiones diuisa, ad Anam vsq; fluuiū excurrit. Ipse *Betus* qui *Cordubam* alluit, *Cirtius* olim & *Tarcessus* etiam, vt apud Plinium, *Liuum*, & *Strabonem* est, dictus, tanta semper celebritate fuit, vt toti prouincie nomen dederit, tanta porro est magnitudine, vt ingentia flumina exorbens, ab Mauris inde nomen acceperit. *Guadalquivir*. namq; quod huic fluuiō nūc nomen est ab iisdem impositum, magnum flumen ipsorum lingua significat. Ab ortu vero ad occasum latus *Corduba* Australe lambens, ita montes ab planicie disternat, vt id sibi studio habuisse natura videatur: quo diuersissima soli discrimina sciungeret & eo tanquam limite superaret. Hinc montana, quæ ipsa suburbia pene contingūt, celsis collibus edita, du-  
ris collibus prērupta, hortis, vineis, olea, & omnium generum arboribus sunt confita. Inde campestris regio trans flumen complanata, nata, glareis & luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis est accōmoda. Huius vero tractusquæ sit feracitas, inclita nec stræ ciuitatis horrea, tota Hispania celeberrima satis ostendant. Alterius vero soli montibus prætenti quanta sit amœnitas cum insigni fertilitate coniuncta: vix quisquam dignè possit explicare. Ipsæ præcisæ rupes, scopuli ipsi, vbi planum quidpiam non soli (neque enim solum est illud sed lapidum strues,) verum quidquid id est plani, loton suauissimam & sil quam sponte nascentes, satiuas vero oleam, vitæ, sicum, cerasum, mala punica, & Persica, pruna, & quod magis mirandum sit, citrea mala omnis generis abunde producunt. Præstāt hoc ipsum magna ex parte fontes, copiosæ, purissimæ, suavis, & ad potum salubris aquæ, quibus passim pene erumpentibus, irrigua omnia circum circa fiunt. Hinc valles vrbi propiores non nisi ab pulchritudine, ab paradisiacis, ab Regiis hortis, ab rosarum multitudine, aut ab florarum aspectu nōmen inuenere. Hinc vini & olei *Corduba* tanta est copia, atq; adeo exuberantia, fructuum omnis generis tanta vbertas, vt hoc vnum aliam quantumvis celebrem ciuitatem magnopere posset nobilitare. mala autem citrea omnis generis tantopere in ea vrbe exuberant, vt aduenis & peregrinis hominibus frequenter sint stupori, non cumuli solum, qui per plateas venales vili pretio cernuntur, sed etiam qui nouorum fructuum aduentu per agros & sterquilinia proiiciuntur: decussis non modico impendio ex arboribus malis, ne super foetantes flores impedian. florum autem ipsorum in his arboribus tata vndiquaque intra vrbum & per vicina suburbana est copia, tanta verno tempore fragran-  
tia: vt non iam, quod de iisdem floribus Virgilius dicit

*Animas & olentiaciues*

*Ora illis foneant, & senibus medicentur anhelis.*

sed suauissimo odore vrbs tota viciniq; agri perfundantur, & ad eā suaveolentia captādam noctu homines perugiles discurrant. Neq; tamen diutius in *Corduba* amœnitate & vberitate celebranda, sit iminorandum. Vnum satis sit testis præstantissimi testimonium. Ipse sit Muca dux Arabū. Hispanię totius victor, quiq; eam omniē perlustrauerat, & vndiq; per cognitam habuerat. De eo Rasis Maurus in Arabum historia his ipsis verbis, Latine fideliter redditis scribit. Abibus Albydi filius Romo qui nullatenus in re villa mentiretur ita scripsit. *Quum Muca Cordubam egressus in Africam nautigaturus, summis Hispaniae proceribus deducen- 40 tib. iter, occiperet, & in collem unde urbis totius prospectus patebat, venisset mula, cui insidebat, retro conuersa aliquantulum consistens urbem tacitus contemplabatur: & tandem in hec verba cum gemitu prorupit. Eheu Corduba quantum es insignis? quæ & quante tua sunt delicia? quantum tibi bonorum Deus voluit conferre? Hac loquutus mærens iter continuat. Hucusq; Rasis. Probum autem hūc stimatorem nemo non possit digne censere, à quo videat ipsam rei veritatem, ipsam natu- 50 li præstantiā tales gemitus, tales voces tantum encomium extorsisse. Metalla Cordubensis sunt etiam apud authores celebratissima. Auriferam quod mox apparebit, poetæ Cor- dubam vocant. & *Aes Marianum*, hoc est, quod prope eam vrbum in eius montibus ef- foditur, maxime Plinius laudat: cum argenti vim & stibii ditissimas fodinas hodie in eius tractu conspiciamus.*

Habuit ea ciuitas duo nomina, quemadmodum apud Plinium legimus, *Cordubæ* nim atq; eadem *Colonia Patritia* est appellata. Sed *Corduba* nomen priscum fuit, & peruetus originis, illud alterum quo tempore ei fuerit inditum, suo loco dicemus. Est verum rectumq; vocabulum. *Cordubam* esse Silius Italicus, Martialis, Prudentius, atq; alii poetæ attestantur. Lex enim carminis incorruptiora & incontaminata vocabula conseruat, Potuit sane nominis huius veritas fidelius ex nummis & ex lapidibus astrui. Sunt qui se numeros vidisse affirment. Sed ego harum rerum non indiligens peruestigator, & omnis patræ meæ antiquitatis imprimis studiosus. Romanum nummum adhuc vidi nullum, qui *Corduba* nomen habeat inscriptum: cum *Colonia Patricie* nomen in quam plurimis Augu-  
sti,

fti, Tiberii, & Germanici etiam, quorum nonnullos ipse habeo, conspexerim. Lapidès, in quibus vtrumque, & alterum seorsim nomen insit, quinque apponam, quorum quatuor primos omnes ipse vidi, & ipse descripsi: ultimum relatu doctiss. hominum habui.

In oppido Linares basis est marmorea, nigra ex ruinis Castulonensis vrbis admodū vicinę adiecta, his litteris inscripta:

VALERIAE. CIPATINAE. TUCCITANAE. SACRVM. COLO-  
NIÆ. PATRICIÆ. CORDVBENSIS. FLAMINICÆ. COLONIÆ.  
AVG. GEMELLÆ. TUCCITANÆ. FLAMINICÆ. SIVE. SA-  
CERDOTI. MVNICIPII. CHASTVLONENSIS.

Superioribus annis Cordubæ cum capite & muliebris staturæ fragmentis basis marmorea cum hac dedicatione est eruta:

D. N. CORNELIAE. SALONIAE. AVG. CONIVGI. D. N.  
IMP. CÆS. P. LICINI. GALLIENI. PII. FEL. ET. INV-  
CTI. AVG. DACICI. MAX. GERMANICI. MAX. TRIB.  
POT. IIII. COS. III. IMP. III. PP. PROCONS. PROVIN-  
CIÆ. BÆTICÆ. DEVOTA. NVMINI. MAESTATIQVE. EIVS.  
CORD. ....

CORDVBÆ in diuīz Marinæ templo ad usum aquæ benedictæ cippus marmoreus  
candidus.

### D. M. S.

M. LVCRETIVS. Verna. PATRICIENSIS. ANN. LV.

PIVS. IN. SVOS. H. S. E. SIT. T. T. LEVIS.

LORÆ. quod oppidū est in medio ferme itinere, quo *Corduba* Hispalim itur, in basi marmorea, pro foribus templi:

L. LVCRETIO. SEVERO. PATRICIENS. ET. IN. MVNICI-  
PIO. FLAVIO. AXATITANO. EX. INCOLATV. DECVRIONI.  
STATVAM. QVAM. TESTAMENTO. S. SIBI. PONI. IVSSIT.  
DATIS. SPORTVLIS. DECVRIONIB. M. F. AXATITANI .....

XII. ....

Hispali in vico cui à serpente nomen est, cippus cum hoc epitaphio visitur.

Q. FABIUS. Q. F. QVIRINA. FABIANVS. ILVRCONENSIS. I-  
DEM. PATRICIENSIS. ANNORVN. XXXXIII. IVST. IN.  
SVIS. H. S. E. ST. T. L.

*Patricia* vero nomen in vsu libentius fuit tempore Romanorum imperatorum, tanquam honorificentius, & illustri de causa, vt postea videbimus, *Corduba* impositum. *Cordubæ* vero nomen incorruptum credo cum Romano imperio & lingua ad Gotthorum usq; tempora permanxit. Tunc demum cepit permutari, vt *Cordona*, quemadmodum nunc Hispani proferimus, diceretur: nec subito tamē, sed paulatim immissa corruptela. Testimonio sunt 40 aurei nummi. Gotthici duo, quos ego habeo, diuersis satis typis percussos. Reccesvint Regis Gotthorum sunt, & altera parte cum regis ipsius facie inscriptum habent. RECCESVINTHVS. REX. In auersa vero parte scriptum in orbem est. CORDVBA. PATRICIA. & iam. V. versum in O. esset. B. autem nondum esset in. v. Ad eundem modum, tum in D. Eu-  
logii veteri exemplati, quam in quibusq; libris Gotthicis literis, quos vidi plurimos descripsit, scriptum *Cordoba* reperitur. Et de nostræ vrbis nominibus hęc satis? nunc de eius antiquitate est dicendum.

Priscam admodum, & peruetustam vrbē *Cordubam* fuisse: cuiusq; originis propter sum-  
mam antiquitatem nullū exstet in hominum memoria principium: duabus potissimum de  
causis adducor vt credam. Primum enim quæcunq; vrbes in Hispania duobus nominibus  
50 olim Romanorū tempore compellabantur: Alterum Hispanum nomen, priscum vetustissi-  
mæ originis, & quasi vernaculum peculiaris linguae habuisse constat: alterum vero tan-  
quam Romanæ ditionis & imperii stygma eisdē fuisse impressum, aut adulatione dominā-  
tum Imperatorū certe expressum. Tales fuere in Celtiberia *Illurci* ab Tiberio Graccho,  
mutato nomine, vt autor est *Verrius Flaccus*, *Gracchoris* dicta. *Salduba* in eadem regione Plinius teste, *Cesaraugusta* postea nominata. Eodem autore & priscis lapidib. etiā attestantibus.  
*Obulco*. Municipium Pontificense nomen accepit. *Attubi*, *Claritas Iulia*: *Astigi*, *Iulia firma*,  
*Tucci*, *Augusta Gemella*: *Iliturgi*, *forum Iulium*: *Hispalis*, *Romulensis Colonia* est dicta. Multa sunt  
eiusmodi apud eum authorem, & in antiquis marmorib. & nummis nominum in vrbibus  
geminaciones. In quibus omnibus negare non possis, prius nomen vernaculum esse & Hi-

spanū æqualisq; cū vrbis primordio antiquitatis fuisse. Talis est *Corduba*, q; *Colonia Patricia* postea est cognominata: testemq; suæ vetustatis priscum nomen habet, veluti nascenti sibi olim impositum. Illud deinde vrbis nostræ vetustissimam potest antiquitatē astruere: quod cum *Turduli* populi omnium vetustissimi, & sapientissimi in Bætica fuisse à Strabone tradantur, *Cordubensis* vero situs feracitate & amoenitate tanto opere præcellat: Credi pat est oppidum ibi non paucis retro sæculis fuisse conditum, neq; neglectam ab eius regionis accolis præstantissimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de *Corduba* origine nihil certi afferri in medium potest. ita etiam vetustissimam ipsam fuisse merito creditur.

**Q**VIDAM à Persis quos in Hispaniam etiam venisse Plinius ex Varrone tradit, conditam *Cordubam* fuisse assuerant. Ipsum vrbis nomen eos, vt opinor, in eam sententiam illexit. Nam *Cordubam* etiam in Perside ciuitatem fuisse credidere. Sed enim leuis est coniectura, & quam nullo veritatis fundamento subnixam, facile nobis fuerit in historia nostra, occasione oblata conuellere.

**A**PVD auctores nullam priorem *Cordubæ* mentionem inuenias, quam quæ apud Silium Italicum reperitur. In Catalogo namq; earum Hispaniæ ciuitatum, quæ Annibali in Italiam transiunti milites miserunt, *Cordubam* connumeravit illo carmine:

*Nec decus auriferæ cessauit Corduba terra.*

**S**E D neque quo in loco condita primum *Corduba* fuerit, satis constare potest cū duo eiusdem situs nunc apparent: alter quem vrbis ipsa occupat, alter quem quarto ab vrbe ad occasum milliario clarissimo D. Hyeronimi monasterio vicinum cum veteris *Corduba* nomine desolatum cernimus. Ego non leibus coniecturis adducor vt credam, priscā vrbē eodem quo nunc est iunior ista, situ fuisse. Quod ipsum tunc ostendemus, cum quæ necessario præmittenda sunt fuerimus persecuti.

**S**E Q V E N S igitur, post illam Silii Italici, *Cordubæ* mentio insignis admodum est & illustris. Refert enim Strabo ab M. Marcello quasi conditam, & paulo post magnificentissime auetam. Eius libro tertio hęc sunt verba. *Corduba, Marcelli ædificium, eo magnitudinis crevit, vt nominis celebritate & potentia polleat.* Quæ verba homines doctos non paucos permouisse video, vt crederent hanc vrbis nostræ primam esse originem, & eiusdem Marcellum primum fuisse conditorem. Proinde necessarium fuerit totum hoc diligenter inuestigare, & subtilius expendere. Quod ex Liuio atq; Appiano Alexandrino constat, Marcus Marcelli eius M. Marcelli qui docuit Hannibalem posse superari, siue nepos, siue pronepos totam Hispaniam in prætura sua obtinuit, eo ipso anno, quo Q. Martius Philippus iterum, & Cn. Seruilius Cepio consules fuerunt. Est autem is annus ante Iesu Christi Domini nostri nativitatem centesimus sexagesimus septimus. Totam autem Hispaniam is Marcellus hoc anno suscepit gubernādam: quoniam ex duabus vna prouincia, duobus tantum antea annis fuerat effecta. Idem *Cordubam* & hoc ipso anno haud dubie exædificauit. Cū enim manifestum sit hoc tempore ædificatam fuisse: siquidem crebrior eius mentio, vt statim apparabit, in historia Romana reperiatur, & Strabo *Marcelli opus* ipsam nominet, neque villus aliis Marcellus, neque superioribus annis, neque multis sequentibus in Hispaniā venerit cum magistratu: planum fit huic vrbis structuram esse attribuendam. Et hoc proculdubio anno quidquid id operis fuit, Marcellus perfecit: nam quinto decimo postea, cum in tertio suo consulatu in Hispaniam rediit, tunc enim diuisa iterum denuo in duas prouincias Hispania, Citeriorem tantummodo rexit: magnis videlicet bellis implicita & quæ cōsulari duce atq; exercitu indigeret. Habuitq; illo ipso anno vltior Hispania, hoc est Bætrea, cū Lusitania seorsum prætorem M. Accilium, vt est apud Appianum.

**S**E D quid illud tandem fuit quod Marcellus fecit, vt *Cordubam* aut cōdidisse, aut edificasse dicatur? Dicam quod sentio, q; manifesta pene ratione adducor, vt credam. nouā vrbem in eo situ, qui nunc vetus dicitur, cōstruxit, & à fundamentis totam erexit, cū oppidū antea esset non admodum magnum, transferre inde, & alio situ amplificare cogitauit. noua forma, Romana vtique denuo vrbem condens, ab se vt esset, & dici posset ædificata, perfecta. Vrbē igitur, quæ nunc *vetus* dicitur *Corduba*, ædificauit. Docet hoc profecto eius vrbis forma: & tota, quam ruinę adhuc ostendunt, structura, Romanū plane opus, & Romanorū consilio totum vndiq; fuisse fabrefactū declarat. Situs namq; totus quadrata forma est, ita vt filo protactus, & circumsignatus initio plane videatur. Duplo longior totus est quā latior ambitus. Ego enim probe funiculo dimēsus, cum pedes in fronte duo millia quadringētos inuenisem ab latere quatuor millia octingētos ad amissim comperi. Cum pedes dico, tertiam vlnæ nostratis, qua pannum, linteum, sericumq; metimur partem intelligo: quodipsum cum pedis Hispani antiqui mensura probe cōgruit. Hęc autē tam exquisita diligētia

stum quadrandi & conduplicandi, tota plane Romanorum fuit non nostratum Hispanorum, qui vix dum hoc nostro tempore politioris ædificationis formam didicere. Prominet præterea media vrbe, quadrata etiam forma planities, siue arcem illa habuit, siue forum, quam satis appareat ad perpendiculum fuisse productam. Tantundem enim ab utraq; fronte distat, superiori latere (nam acclivi solo tota vrbs fuerat in posita) aliquantis per cū muro coniungitur. Eam curam & subtilem formæ symmetriæque diligentiam quis non videt Romanorum esse, non prisorum Hispanorum? Apparet insuper quatuor magnarū turriū fundamenta, eiusdem industriae Romanæ & studii in ædificando manifesta testimonia: ut quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Eiusdem Symmetriæ Romanæ simul est indicium, via quadrato lapide constrata, quæ ab inferiori vrbis latere, portæ, ut credi potest, coniuncta, in proximum colliculum dicit, ubi magni cuiuspiam ædificii vestigia perseuerant: fanumq; insigne inibi fuisse libet coniicere, cui nobile stramentum, & viæ maior cōmoditas deberetur. Locus enim ab vrbe diuulsus, & in plano modice admodum elatus vetat præsidium cogitare.

Hæc omnia hominis sunt studiosissime ædificantis, & veluti ociose ad fabricam considentis. Multum autem ocii Marcellum toto pene eo anno habuisse, Hispaniæ pax, de qua Littius & Appianus, declarat. Longum vero sit si commemorare pergam quanta ex situ eius vrbis monumenta Romana superioribus, & nostro etiam hoc saeculo sunt eruta: quæ plane testantur, Romanam eam vrbum fuisse, Marcellumq; perinde Romanū hominem eius fuisse conditorem. Cum vero iam ex superioribus satis constat, ante hanc Marcelli ædificationem priscum oppidū, quod *Corduba* diceretur, in iis locis fuisse: intelligere plane nō possumus, num antiquum situm Marcellus suo opere complexus, an nouum exquisierit. Nisi quod sequentia quædam indicabunt, contempto veteri opido, ipsum in delectum ab se situm totum penitus transtulisse.

Ex ædificata ad hunc modum de quo vrbe magnificeq; amplificata: frequentiorem iam eius mentionem Romana habet historia. Creuerat nimirū oppidū antea non admodū celebre, & Romana plane vrbs cœpit iam ab Romanis nobilitari. Eo iam paulo post prætores ad hibernandū exercitum reuocabant, & ad ius petendum populi conueniebat. Quæ omnia ex Romanis & Græcis scriptoribus collecta late nos in nostra historia prosequimur. Hinc Metellus Pius deuicto Sertorio grægem poetarum indidem ciuium secum Romam reduxit. Quod si, vt de eisdem Cicero dixit pingue quiddam & peregrinum resonabant. temporum plane fuit vitium, non ingenitorum. Neque enim Roma cultiores poetas tunc temporis habuit. Hic etiam nobile illud continentia frugalissimæ exemplum Prætor Piso, eodem Cicerone ferente ædidit. Quod utiq; præstiterit ipsius metrum summi oratoris verbis apponere. Nihil, inquit, nimium uetus proferam. Sunt vestrum, iudices, quam multi qui Lucium Pisōnem cognoverunt, huius. L. Pisōnis, qui prætor fuit, patrem. Is cum esset in Hispania Prætor, qua in prouincia occisus est: nescio quo pacto dum armis exercetur. annulus aureus, quæ habebat, fractus est, & comminutus. Cum vellet sibi annulum facere, aurifex iussit vocari in foro, ad sellam, Corduba: & ei palam appendit aurum: hominem in foro sellam, iubet ponere, & facere annulum omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Haec tenus reprehendat si quis volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum: Filius enim. L. Pisōnis erat eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim: Veruntamen quantum intersit videte. Iste cum aliquorum abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, verum etiam Rome in iudicio audiret. Ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde prætorianus fieret. Nimirum ut hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen.

SUPERVENIENS non multo post bellorum ciuilium inter Cæsarem & Pompeium tempora, in quibus caput prouinciarum Bætica totius *Cordubam*, ab Aulo Hirtio, siue is Opilius est, appellatur. Et ad hanc *Cordubam*, ab Maccello ædificatam, de quanobis sermo nunc est, omnia illa gesta fuisse, multa sunt quæ aperte declarent. Illud in primis, quod pertransito ponte prælium inter ipsum atq; vrbum non semel committitur. Sed non est hic locus de his pertractandi.

P A V L O post etiam Augusti Cæsaris temporibus, quibus Strabo & vixit & scripsit; vere iam is auctor, potuit insigni cum præconio affirmare, eo magnitudinis *Cordubam* creuisse, vt nominis potentia, & celebritate polleret. Colonia autem paulo ante fuerat effecta: hec ciuius vulgaris Colonia dignitas eidem fuit attributa. Sed quæ nomine & maiestate præcelleret, atq; COLONIA PATRICIA, & esset reuera, & vocaretur. Qua de re idem auctor, de *Corduba* verba faciens, his verbis scripsit. Eam sane initio habitauere, & Romanorum & indigenarū viri delecti: Nam prima hac istos ad locos à Romano populo est dimissa Colonia. Entib; & primam in Hispania, saltem in Bætica Coloniam *Cordubam* fuisse, & cum magna

dignitatis præstantia, & veluti prærogatiua fuisse. Vtrumque insigne quiddam est, & ad Cordubensem celebritatem & gloriam singulare. Neq; vacat tamen hic, quantum hoc sit fuisus explicare. Illud vnum tantummodo non præteribo: tantam hanc dignitatem vt non nisi viri Patritii ex Romanis & Hispanis deligeretur, qui in eam Coloniam immigrarent, & clarissimum vtriusq; nobilitatis domicilium ipsam redderent: eo maxime merito *Corduba* fuisse consequutam, quod fide & tolerantia singulari Iulii Cæsar is partes eo in bello semper souerit, & ciues Romanos s̄epe protexerit, atq; seruarit. Ideius ciuitatis, ex quo primū Colonia facta est, nummi testantur, qui omnes cum *COLONIA PATRICIA*, in auersa parte habeant inscriptum, ciuica corona id ipsum præferunt inclusum. Ciuciam autem seruati ciuīs & p̄mūlū & insigne apud Romanos fuisse, quis ignorat? Vnde & ab Iulio Cæsare <sup>10</sup> p̄mūlū causa *Corduba*, vt Colonia esset, tributum crediderim. Certe Seneca pater de bellis ciuilibus loquens, *Coloniam iam Cordubam* vocat: & in *Cordubæ Colonia* iam factæ nummis faciem & nomen Cæsar is Augusti cernimus. Et *Carteiam* quidem aliquanto vetustiorem in Bætica fuisse *Coloniam*, ex Liuio prorsus intelligo. Neque obstat tamen hoc Strabonis dicto is plane intelliget, qui quo hominum ex genere, Parthenorum videlicet & Libertinorum deducta fuerit, animaduertit.

**I L L I** vero duo insignes admodum lapides ex Augusti Cæsar is temporibus ad hæc nostra usque *Corduba* perdurant, qui ipso eodem anno, quo Dominus noster Iesus Christus natus est, fuere inscripti. Habent enim hæc verba:

**I M P. CÆSAR. DIVI. F. AVGUSTVS COS. XIII. TRIB. POTEST. XXI.  
PONTIF. MAX. AV BÆTE. ET IANO. AVGUST. AD OCEANVM LXIII.**

EST hic lapis in summo templo, alterq; persimilis in D. Iohannis Hereditæ domo visitur. Amouent autem hæc columnæ omnem illam controuersiam, quam D. Augustinus inter quosdam Ecclesiæ Christianæ scriptores narrat fuisse de anno dominicæ nativitatis. Ignorantes Romani consulatus seriem, vt idem inquit sanctus doctor, hic diuersa sensere. Sed de hoc non vno in loco historia nostra pertractat. Ibi etiam quod hoc lani templum Cordubense fuerit prosequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæsar is tempore erectæ eisdæ etiam omnino verbis meminerunt. Altera in ipso fano maiori, in D. Francisci altera conspicitur. Illud vero in antiquitatis studioforum gratiam non prætermittam: in his omnib. columnis numeri primam notam hanc esse, & quæ nimirum & geminatae vim habeat, & bis quinquaginta, hoc est centum millaria signet. neque enim pauciora millaria ab *Corduba* ad Oceanum, qua magis est propinquus, quam centū quatuordecim reperies. Quod Francis Iurisconsultus antiquitatis studiofissimus primus, quod sciam animaduertit.

HABVIT etiam Romanorum tempore ad Romanæ ciuitatis & aliarum magnificen-  
tissimarum ciuitatum imitationem puteal *Corduba*. Visitur namque hodie quoque in Mar-  
chionis Commarenſis ædibus marmoreum puteal cum hac inscriptione:

### PUTEAL THADAI.

**A R I S T O T E L E S** porro in politicis docet, non nisi magnas vrbes puteal, hoc est subterraneum carcerem ad putei similitudinem excauatum habere solitas fuisse. Et *Lyonis* puteal Romæ ab Horatio celebratum nō vno loco legimus, tum etiā in argenteis nummis depictum & inscriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inscriptis lapidibus Romanis qui multis in locis vrbis visuntur, nemo vnquam dubitauit, ex veteris ruinis fuisse huc diuersis temporibus aduecta.

IN ea igitur *Marcelli* nati sunt, *Seneca* duo pater & filius, *Lucanus*, *Portius Latro*, & alii insig-  
nes Cordubenses, quorum meminit Seheca pater. Illa eadem clarissimum & fortissimum  
ciuem *Æmilium Regulum* dedit, qui & ipse cum aliis, ipsum tanquam ducem in sequentibus  
in *Caligula* Imperatoris necem coniurauit. Et cum alios, inquit Iosephus, priuata oda in-  
citarent, hunc publica tantummodo mala permouebant.

QVANDIV vero vrbs illa vetus ab *Marcello* condita perdurauerit, quovet tempore mu-  
tatione oppidi, in hanc, quæ nunc est, sit traducta: & si maxime vellem, non possum tamen  
liquido explicare. Quod cōiecturis aſſequi possum, in mediū adducā. Tempore Tiberii, &  
*Caligula* Imperatorū, vetus *Marcelli* ciuitas, non solum stabat, sed inclyta admodū & cele-  
bris vigebat. Id nummi veteres indicant ibidem reperti, cum Germanici vultu & nomine  
quorum auersa pars. *COLONIA. PATRICIA.* habet intra ciuitam inscriptum. Neque  
multi simul eiusmodi vnquam nummi sunt reperti, vt reconditi fuisse videantur: sed vnius  
atq; alter, vt casu prolapsi, & amissi appareant. Sed neq; quisquam tamen sequentium im-  
peratorum

peratorum nummos se ibi reperisse, vñquam dixit. Tanta præterea vrbis per illa tempora celebrites, repente vtique non potuit concidere cum in summa pace & tranquillitate nobis Romani imperarent. Non nisi maturo per multos annos consilio, non nisi longi temporis spatio opus fuit, vt inde penitus fuerit immigrandum. Noua etiam vrbis fuit condenda & magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namque fuisse, & oppidi mutationem, res ipsa testatur, & paulo post sumus ostensuri. Sexaginta igitur aut eo amplius post Caligulan annos eam vrbem stetisse, possumus credere, & ad Traianum vsq; perdurasse.

D V C E N T I deinde ferme anni ad Diocletiani vsq; tempora præteriere, in quibus Cordubæ nullam mentionem apud autores inuenimus. Tantum illa basis marmorea, de qua iam diximus, cum fragmentis etiam muliebris statuē in domo Garsiae Mendesii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliae Saloniae vxoris Gallieni Imperatoris inscriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium esse non potest, quin vrbis vetus iam perierit, & noua, quæ nunc est, per celebris haberetur. Testimonio sunt sanctorum Martyrum, qui e tempore *Cordubæ* coronati sunt semper, monumēta, quæ super sunt. Ibi sanctorum Acisceli & Victoriae domus in qua educati fuerint: vbi sepulcrū, quod ad portam fluminis fuisse in eorum passione scribitur: ibi puteus, in quem pars viscerum. S. Zoyli martyris fuerit proiecta, monstrantur, atq; omnia & singula magna religione ab tota ciuitate coluntur. Ita fit vt ne mo pius ferre iam possit, si quis passos in veteri vrbē hos sanctos martyres crederet. Et de S. S. tribus martyribus Fausto, Ianuario, & Martiale idem prorsus est statuendum, & cū Gotthos hanc nouam vrbem tenuisse constet: & Sisebuti regis temporibus Agapius Cordubensis episcopus Sanctum Zoyli corpus ibidem, ipso per somnium commonistrato, repererit, quod ab Martyrii sui tempore delituerat. Ibidem vtq; fuerat excarnificatus, & occisus, nam ab Ethniciis inter peregrinorum sepulchra, cadauer eius occultatum legimus, ne à Christianis dignosceretur: & Agapio episcopo idem Martyr. (quemadmodum inuentionis habet historia) & locum vbi passus fuit, & vbi suum corpus occultatum iaceret, indicauit. Quæ omnia liquido possunt probare, hanc nouam vrbem Diocletiani & sociorum imperatorum tempore, hoc est circa annos dominicæ nativitatis trecentos, conditam iam veteri diruta fuisse. Ille itaque marmoreus lapis ad D. Nicolai, quod vocat in vrbē, templū effossus, ibideq; parieti insertus, qui basin Constantii Cæsaris (vt eius indicat inscriptio) statuē olim præbuit: in hac noua vrbē dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiā de Saloniæ statua & basi quispiam possit etiam existimare.

C A V S A autem huius mutationis, & *Cordubæ* iterum renascentis occasio vulgo inter ciues affertur aquæ penuria, qua vetus Marcelli vrbis laborabat, longius à flumine quatuor pene milliaribus remota. Ego vero nihil minus in causa fuisse video. Nam & intra vrbis eius sitū fontes nō vno loco erūpunt: prope muros vero ad ortum fons est eiā bene magnus, cui ab lauerū copia nomē est: & vicini huic fonti fratrū D. Hieronymi horti ab fontiū copia nomē inuenere: & amplior ille canalis, quo ipsum idem D. Hieronymi Cœnobii nunc fruitur, per vallem ipsam dorsumq; prominē circūductus, in vrbē influebat. Durat adhuc ad ipsum fontis caput, eius aquæ ductus portio, quadrato lapide cōstruēta. Reliquū ipsa Cœnobii structura lapidū similis indiga, consumpsit. Quicunq; etiā putei inferioribus præsertim vrbis partibus, effoderentur, aquæ in omnē vsum cōmodissimæ copiā profecto subministrarēt. Quæ cū ita sint, loci insalubritatē, atq; etiā ad inhabitādū incōmoditatē causas potissimas vrbis transferēdæ fuisse credendū est. Eū enim sitū Marcellus delegerat, qui ponēdæ vrbī esset multis modis importunus. A flumine primū rālōge remouit: cū fluminis eo tempore nauigabilis cōmoda essent quā plurimā. Munita neq; situ neq; opere vrbis esse potuit. Per eū enim cliuū est in planū demissa, cui mōtiū iuga ita super imminēat, vt lapidibus rupibusq; nō admodū magnis, quarū est in sublimi ingē copia tārū cōmotis, obrui mōnia possent, atq; prosterni. Sed loci insalubritas imprimis est insignis. Idē præcelsi mōtes septētrionale vrbis latus ita protegūt, vt aquilonarib. vētis, qui salubriores existimantur, nullo modo posset afflari. Cumq; ab ortu ad occasum in longū sit totus situs porrectus, ab septentrione vero in Meridiē Latitudine per cliuū in planū excurrēt protendatur: ad solis ardores, qui sunt in ea regione feruētissimi, vrbis tota quātā erat, iacuit imposita. Neq; inferiora ædificia tegere in cliuō superiora poterāt, aut æstus mutua cōiunctione impedire: cū interim si quo algore Aquilones possent subuenire prærupta montiū culmina arcerēt. Inde est q; nunc etiā Scorpionū multitudine totus is veteris vrbis situs abūdat: ipsa venenatorū animantiū foecuditate loci pestilētis vitiū prōdente. Quod ipsum maxime facit vt cōredam; priscam illam Cordubā quæ ante Marcellū fuerat, hoc situ quo nunc est, exstitisse, salubritatisq; memoria & experimento eum ipsum iterum nunc repetisse.

INSTAVRATA igitur, seu denuo condita noua vrbe, quadratam formam quantum possum coniicere, retinuit. Duo enim murilatera ad amusim producta cum antiqui operis, atq; adeo Romani vestigiis perdurant. Ab arce ad solis quam dicunt, portam la- bente flumine australe: inde ad eam portam, quæ anguli orientale. Duo alia latera Mauro- rum credo detraheantur, superaddentium, & multis modis immutantium, substructiones cofudere. Et præterquam quod quadrata ista forma, lapidesq; quadrati Romanam indicat scripturam: ipsa quoque portarum in illo ad Orientem latere cum æque distante interuallo dimensio tota prorsus Romana est. Quinq; enim portas cum adaperirent, in medio vnam (quæ ferrea dicebatur, ipsaq; diruta, loco nomen manet) constituerunt: hinc inde binas æqualibus interuallis superaddentes. Perdurant hæ quatuor, solis & anguli, in ipsis i angulis: reliquæ mediae, quæ portulæ voce diminuta nuncupantur, altera ad Emporii vicū, altera ad Fontem siccum est posita: & vtraq; ab suis locis nomen accepit. Nec dubitant nostri Cordubenses, qui ex veteri Marcelli vrbe translata in nouam hanc fuerint publicorum & priuatorum ædificiorum omnia ornamenta. Hinc in vrbe statuæ Romani operis non paucæ, inscripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnæ multaq; alia huiusmodi, quæ passim visuntur. Quamquam nonnulla huius nouæ vrbis propria fuisse, superius probabamus.

HINC iam liquet quantopere vulgus nostræ ciuitatis aberret, qui *Seneca* domū eam fuisse affirmat, quæ nunc publici senatus ædibus ad Austrū coniuncta ex aduerso pene diuini Benedicti templum respicit. Emit eam olim vir clarissimus. D. Petrus à Corduba Plieguensis Marchio, ea fama commotus, & doctori *Antonio Morali* patri meo medico præstantissimo dono dedit, dicens: Sapientissimi viri Cordubensis domum, non nisi ab sapientissimo Cordubensi debere possideri. In his ædibus ego natus sum: sed *Seneca* eas nunquam fuisse, quis iam non videt. Qua de re latius in Historia nostra & Hispaniæ antiquitatibus differimus. Cum vero *Senecam* nomine patrem *Seneca* Philosophi semper intelligo. Hic enim Neronis præceptor Cordubæ nisi puer admodum, nunquam fuit: infans pæne inde Romæ a patre abductus.

SED enim silentio hic præterire non est æquum: quamuis *Seneca* ipsius nulla mentio perduret in antiquis *Corduba* monumentis, eius tamen familiae cognomen in basi percutta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, iuuenis ingenio & litteris ornatiss. antiquitatisq; studiosiss. in patris sui, fratris mei, doctoris Augustini Oliuæ, medici etiam præstantissimi domum transferre curauit. Habet autem subscriptum.

FABIÆ. GN. F. PRISCÆ. ASIDONENSI. FABI-  
VS. SENECA. ET. ..... ERIA. Q. F. PRISCA.

HABVL-T etiam hæ noua vrbs suam Romanorum temporibus magnificentiam: cu præceptorem etiam Græcarum litterarum qui Grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinæ probatissimæ insignie) tueri posset, quiq; præterea illud habuit admodum singulare, quod suprà centesimum annum peruxit. Exstat eius iaspideus cippus in eiusdem fratribus mei doctoris Augustini Oliuæ domo, cuim his litteris.

D. M. S.

DOMITIVS. ISQVILINVS. MAGISTER. GRAMM.  
GRECVS. ANNOR. CI. H. S. EST. S. T. T.  
LEVIS.

HVIS autem posterioris temporis, & rudioris, esse hanc inscriptionem, tum charæcteres iam degenerantes, tum etiam verba ipsa & Orthographiæ neglectus docet. Proinde nouæ vrbi hunc lapidem dedi.

Hæc igitur noua vrbs, insignis etiam ipsa olim & celebris, sed inde multo celebrior, quod clarissimorū martyrum sanguine diuino munere fuerat consecrata: ab Romanis ad Vandalo, inde ad Gothos tandem peruenit: apud quos in magno pretio semper est habita. Bellum videlicet aduersus Agilam regem potuit sola suscipere, & ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellanti aduersum Leouigildum patrem diuo Ermetegildo principi tunc postea martyri inclito se se coniuxit, & fidei catholicæ causâ pio bello complexa est. Ioannes enim Biclarensis abbas, qui eo tempore vixit, scriptum in suo Chronico reliquit. sanctū principi peracto bello Cordubæ ab patre fuisse comprehesum. Ad amicā nimirū & suarū partiū ciuitatem configerat. Nummum etiam aureū eiusdē principis habeo, & tanquam sanctissimi martyris egregium monumētum veneror, quæ in hoc sacro bello constat esse percussum.

gratiss.

Gratissimum autem lectoribus me facturum spero, si ipsum hic descripsero. Altera parte faciem habet principis ipsius iuuenilem cum his litteris. **E R M E N G I L D I:** altera alatam victoram præfert, vt eius conspectu suorum animis validam eius potiundæ spem Deo duce & adiutore immitteret. Inscriptio autem quæ victoram circumdat, cum sit cælestis prorsus & admirabilis, tum etiam sanctum principem in eo bello eadem pro militari tesserarvsum fuisse, est admodum verisimile. Est enim hæc. **R E G E M D E V I T A.** Quam nemo vel leuiter in sacris litteris versatus non confestim videt, ex illis D. Pauli ad Titum verbis fuisse desumptam. Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita. Et omnia tam acute, prudenter & pie excogitata sunt & adaptata, vt credi possit ab Leandro aut Isidoro fratre viris sanctissimis litterisq; & ingenio præstantibus Diui etiam Ermengildi auunculis fuisse excogitata, & principi pie rebellanti ad symbolum & tesseram tradita. Repertus vero fuit is nūmus prope *Cordubam* tertio milliario, in eo agro qui *Casa Blanca* hoc est domus alba, nominatur. Et *Corduba* fuisse percutsum possumus etiam existimare. Officinam enim nummariam in ea vrbe fuisse tum ingens ciuis celebritas tum numeri illi Reccesuinthi regis, de quibus retro diximus ostendunt. Nulla enim alia de causa *Corduba* nomen in illis ad eum modum potuit apponi, nisi quod ibidem fuissent conflati, atq; signati. Sed hæc omnia cum aliis nostræ ciuitatis fortunis in nostra de rebus Hispaniæ historia late prosequimur. Cap. 3.

### EXPVGNATIO REGNI GRANATÆ.

## CAROLI VERARDI CÆ. SENATIS IN HISTORIAM BÆTICAM AD R. P. RAPHAELEM RIARIUM CARDINALEM.

#### *Prefatio.*

**G**VM felix ille, venerande presul, & iam pridem ab vniuerso Christiano orbe, mille votis exoptatus nuntius Romanum peruenisset: quo cognitum est urbem Granatæ, cum omni eius regno, quod per octingéatos fere annos, impio Mahumeti dominatu oppressum fuerat: iugo seruitutis excusso: in Christi libertatem erectū, nunc tandem in potestatem ac ditionem Ferdinandi & Elisabethæ Christianissimorum inuestissimorumq; Hispaniæ Regis ac Reginæ deuenisset, memet continere non potui, quin arrepto calamo summam saltem huius reiliteris mandarem, præsertim cum ob eam causam Pontifex ipse Maximus, Senatus Apostolicus, Populusq; Romanus tanta victoria exultas: quibuscunq; posset modis, lætitiae suæ signa monstraret: Templis omnibus sacra fierent: Supplicationes per dies complures ad cuncta puluinaria constituerentur: Gratiæ deo immortali ac diuino Iacobo Hispaniarum patrono ad aras omnes agerentur: Vrbe tota longissimus sacerdotum ordo diuinis hymnis & gratulationibus personaret: Noctem lampades flammis vincerent: Interdiu ludi per omnia fere compita celebrarentur: Hic taurorum venationem, quos expediti iuuenes iaculis aut ensibus conficerent, populo æderet: Ille pugnam equitum leuis armaturæ qua potissimum Mauri vtuntur, exhiberet: Alius expugnationē vrbis Granatæ cū summa omniū referret voluptate. Tu vero omnium magnificetiā lōge supergressus: quo singularē animi tui lætitia, quam ex hac Christianæ religionis amplificatione cœperas, & simul amorem obseruantiamq; quibus inclitos illos principes prosequeris, ostenderes: speciosissimum currum, quo iidem de Baudeli Granatæ rege triumpharunt, tanto sumptu & apparatu, tantaq; pompa & splendore induxiles, vt Senatus populusq; Romanus veteres illos maiorum suorum triumphos iam pridem seculis nostris incognitos, nunc demum spectare sibi viderent, & simul in circo ingentibus propositis præmiis celeberrimos ludos, in quibus equites grauis armaturæ longis inter se hastis cum summa populi voluptate concurrerent, pluribus diebus edidisses. Itaque ego tantorum vestigia fecutus, quo & ipse pro virili parte interiora animi mei gaudia, quo pacto possem cunctis aperirem, & simul nostrorum temporum felic-

citati quodammodo gratularer, vnius duntaxat diei quo videlicet Vrbs Granata Bau-delis regis bello iam fracti fameque fatigati deditio[n]e recepta est, acta complexus sum, historiamque interlocutoribus personis que ita contexui, atque distinxii, vt totam rem ita vti gesta est, posset Populus Romanus non solum auribus percipere, verum etiam oculis intueri, eumque tuo amplissime Antistes: cui omnia debo: nōmini dicaui, tuoque acerrimo iudicio castigandam subieci. Tibi enim vtpote Regiae illorum maiestati deditissimo, & qui in primis hac nostra tempestate ingenii faues, & de eorum studiis ac scriptis iudicare potes, id munera potissimum debebatur. Eam igitur cum tu magnopere probasses, confessim temporario in tuis magnificentissimis ædibus excitato theatro, recenseri agiq[ue]; curasti: Tanto autem patru[m] ac populi silentio & attentione exce-<sup>10</sup>pta est, tatusq[ue] fauor ac plausus subsecutus, vt iam dudum nihil æque gratu[m] ac iucundu[m] auribus oculisq[ue] suis, oblatu[m] fuisse omnes faterentur. Quod ea potissimum causa contigisse crediderim: Quod res erat perse ipsa gratissima, & excellentis virtutis, qua Rex & Regina prædicti sunt, commemoratio, nobilibus & bene institutis animis non iucundissima esse nō potest. Eandem historiā, non tam meæ famæ (quæ p[ro]exigua esse potest) quam Regiae gloriæ studens, eodem te hortante, vna cum nōnullis carminibus, quæ Bartholinus Verardus nepos & alumnus meus, facili & copioso adolescens ingenio, me authore lusit, vulgandam putau[i], quo reliquis etiam populis Christiani nominis, qui dum ageretur, interesse nequuerunt, tam præclaræ victoriæ, tantæq[ue] virtutis splendor illucesceret. Possentq[ue] hoc exemplo, admoniti reliqui Reges, ac principes nostri, intelligere quanto gloriosius salutariusq[ue] sit, pro religione nostra tueada vel amplificanda aduersus eius hostes arma sumere, quam pro leuibus & caducis fortunæ muneribus (vt s[ecundu]m solent) inter se digladiari. Vale Præsul optime humanitatis, ingenii, & modestiæ columnen.

## A R G V M E N T V M.

**R**ebus suis Rex Maurus cum diffideret,  
Suos amicos consulit, variantibus  
Sententiis quorum, incertus dimittitur.  
Mox nuntiū aduentu Turcarum principis  
Spondentis, illum inuasurum Trinacriam  
Cum vere primo, confirmatur plurimum,  
Diemque latum hunc, statuit in coniuio  
Lux a paratore regio traducere.  
Sed illud omne perturbauit gaudium,  
Speculator Hispanorum Regum nuntians  
Vrbem continuo decreuisse inuadere.

Post paulo Regis Numidarum literis  
Permagna pollicentis sibi auxilia  
Erectus animo præfectum cum copiis,  
Hostilem mittit qui contundat impetum.  
Sed territus postremo uxoris somnio,  
Exercitusque internatione cognita,  
Bello fameque fractus, ac demum omnibus  
Rebus iam desperatis, ad clementiam  
Confugit hostis, urbem, seque tradidit.  
Ferdinandus & coniux summa cum gloria,  
Granata & omni illius regno potitur.

## P R O L O G V S.

**S**icut alutem primum Spectatores optumi  
(Quorum frequentia, vultuque maxime  
Lætor (sereno) vobis summam nuntio  
Aures mihi dein si dabitis proprias,  
Qua huc gratia prodierim, paucis eloquar.  
Apporto non Plauti, aut Nauii comædias,  
Quas esse fictas scitis omnes fabulas.  
At nouam nobis veramque fero historiam,  
Per quam licebit nosse, ut summi principes  
Ferdinandus & coniux, domuerunt Bæticam,  
Regnique Granatam caput, & finitimus  
Terrorum populis adiecere imperio,  
Quod fabulis si in fictis, tantam capere  
Soletis pleno voluptatem pectori.  
Quid quæores ubi narratur verissima,  
Cognitione que digna, vos facere addebet?  
Præsertim cum ulta hic tyrannorum scelera  
Non sitis audituri, aut fastus regios,  
Intolerandam vel bonis superbiam,  
Quæsæpe describi solent tragædiis.  
Neque audientur lenonum hic periaria,  
Seruorum technæ, aut meretricum blanditiae,

Avara non usquam lena hic inducitur,  
Milesne gloriose, aut sycophanta impudens,  
Edaxne parasitus, vel matrona impudens,  
Paterue durus, aut amator cupidus,  
Et reliqua, que in Graiis nostris que comicis  
Spectata præbent voluptatem plurimam.  
Verum pudica, honestaque hic sunt omnia,  
Summoque cuncta perfecta consilio  
Virtute semper duce, fortuna comite,  
Fides, bonique mores, & probitas vigent,  
Nullus superbia, nullus avaritia est  
Locus relictus, aut fædis amoribus.  
Vos itaque, virtutem qui facitis maximi,  
Fauere nostræ decet huic historiae,  
Animumque summo aduertere cum silentio.  
Requirat autem nullus hic comædie  
Leges ut obseruentur, aut tragædie,  
Agenda nempe est historia, non fabula.  
Adesse iam aquis animis, & pernoscite:  
Maurorum Rex en qui foras egreditur.  
Suis cum consultoribus, sibi quid velit.

EXP VGNATIO REGNI  
GRANATÆ, QVÆ CONTIGIT A N-  
NO AB HINC QUADRAGESIMO SECUNDO A CA-  
tholico Rege Hispaniarum Ferdinando.

BAVDELIS MAVRORVM REX, HALLATAR, SERRAIA,  
HABDISBAR, CONSULTORES.



ROFECTO quanto magis magisq; cogito, tanto mihi res nostra duriore in loco esse videtur, dabitq; nimirū hic Rex Hispaniæ nobis magnum malum, cui quod remedium inueniam aut quid consilii capiam, nescio. Ita nobis omnia aduersa, hostibus prospera contigere. Quicquid tentauimus frustra fuit. Spes haec tenus vanæ, conatus irriti fuere: fame, omniumque rerum inopia, premimur. Hostis adeſt, instat, nullam requiem fessis præbet. In vna deditioſe spes omnis ostenditur, quam tamen ita abominor, vt emori per virtutem satius putem, quā hostibus ludibrio esse. Proinde vos, quos semper supremos habui comites consiliorum meorum: quiue ætate a longo rerum vſu plus sapitis, mihi quid agendum sit, consulite. Nam ego quidem ita sum animo perturbato, tot me excruciant curæ, vt quid mihi, regnq; meo expediatur, non satis dispicere possim. Igitur tu Hallatar, qui dignitate præſtas, edissere nobis quid sentias. HALL. Graue onus optume Rex meis humeris imponis, qui me iubeas imparatū tanta de re ex tempore dicere, maluissemq; vt hi collegæ mei, priores sententiā dixissent, quo plus ad cogitadum spatii haberem, & simul eorum prudentia instructus, ad dicendum parati or accederem. Verum quando ita iubet, parebo, atque animi mei iudicium paucis aperiam. Non clam me est Inlyte Rex, quot damna, quot incommoda, quot clades (quorum non postrema pars fui) in hoc diurno & calamitoso bello, ab hostibus passi sumus: verum non vſq; adeo vires imperii tui fractæ sunt, spes opesque conciderunt, vt nisi deditioſem feceris, salus desperanda sit. Nam per Deum immortalem: primum considera robur ac multitudinem militum tuorum, sexaginta millia & eo amplius lectissimorum ac fortissimorum peditum, vrbe tuo firmo præſidio non exuta, in aciem educere potes. Circumspice hunc splendorem equitum, quantus sit in eis vigor, quanta rei militaris scientia, quam ad pugnandum prompti, & ad decipiendum hostem edoceti sint, meditare. Deinde cogita quanta subsidia ab Rege Numidiæ, Mauritaniæq; principibus, & ab ipso Turcatum imperatore sperare merito possis. An est verisimile, hoc inlytum regnum, quod in ultimo Europæ angulo, tanta cum nostra, atque adeo omnium Mahometis ſectatorum gloria, & summa contra, Christianorum ignominia, annos circiter octingentos perſeuerauit, eos paſſuros nunc opprimi, pefſundari, atque deleri? At enim dices: cur tam diu subsidia, si vlla missuri fuerant, distulerunt, & donec in extrema constituti eſsemus neceſſitate? Expectandū putauerunt. Multæ poſſunt eſſe cauſæ, quæ illos ab hoc honesto ac debito officio, quæ nos latent, retardarunt. Sed illa in aperto eſt: Quod exiſtimarunt nos nostris opibus ac viribus, vt maiores nostri fecerunt, ad resistendum hosti paratos ſatis eſſe, neq; fieri vñquam poſſe crediderūt, vt tot oppida, tot castella, tot vrbes arte ac natura munitas, pugnacifimo milite, instrumento bellico, omniq; rei copia instruetas, tam cito amitteremus. Nunc vero cum res noſtras in angusto ſitas eſſe, atque in id prope deductas diſcriben animaduerteſſint, vt niſi celeriter ſuccurrerēt, aut turpis deditio, aut dirū huius vrbis excidium, cum maxima omnium noſtrum ſtrage fit futurum. Verisimile non eſt, Maures potiſſimum, qui in proximo ſunt, non totis viribus in auxilium noſtrum descensuros, cum præſertim eos non lateat incēdium noſtrum ad eos pertinere. In proverbio eſt: Tua res agitur, paries cū proximus ardet. Num enim ſperare poſſunt Regem ac Reginam Hispaniarum, quorū hi ſunt ſpiritus, ea (ſi de hostibus verum fateri libet) magnitudo animi, vt vniuersus orbis eorum cupiditatib; ſatis eſſe non poſſit. Si tuo inlyto hoc regno per victoriam (quod dii omen auertant) poſtientur, qui eturos eſſe, & non ſtatim omnib; imperii ſui viribusq; totaq; belli mole in Africam traſmiffuros? Quare tuam iſtam Rex animi magnitudinem atq; constantiā misericorde laudo, quod preſtare exiſtimes per virtutem emori, quam deditioſem facere. Nam

quid est aliud hostibus praesertim Christianis, quibus cum tanto odio diffidemus, sed dare, quam in miseram, turpem, ac perpetuam seruitutem se a liberis posterosq; omnes suos tradere? Quid si nos amici forsan deseruerint, auxilia sperata defecerint, virtutique nostræ fortuna inuiderit, nonne præstabilius est virorum more pugnantes occumbere, & non incruentam hostibus victoram relinquere, quam aut exutos libertate (quā nemo bonus nisi cum anima simul amisit) in prædam & ludibriū trahi, aut veluti pecudes ab hostibus trucidari? Saguntini in hac terra Hispania (ut in historiis memoriae proditum esse accepti) quo Romanis quibus cū fœdere & amicitia iuncti fuerant, fidem seruarent potius quam se Hannibali dederent, immani in fôro excitato rogo, se suosque atq; insuper opes omnes igni ferroque corruperunt. Ergo quod illi pro fide Romanis seruanda fecerunt. Nos pro aris, pro sanctissimis focis, pro delubris atque templis, postremo p ea fide, quā deo nostro & clarissimo eius prophete Mahometi debemus, si ita necessitas (q; minime reor) cogat, facere recusabimus? Huc accedit quod nunquam eundem cursum ac tenorem fortuna seruat: Nunc hostibus fauet, forsitan post paulo tibi ac tuis arridebit. **Quis** scis an ita di fata ordinarent, ut Maurorum in Europa imperium, magno motu concuterent, potius quā euerterent admonerentque nos imbecillitatis humanæ, cuius nimia in secundis rebus obrepit obliuio? Igitur Rex (ut iam dicendi finem faciam) te hortor, ut bono fortiq; animo sis, virtuti militum tuorum confidas, externa auxilia non desperes, & postremo Deum nostrum, cum propheta suo Mahomete, pro hoc imperio quod suum esse nouit, pro aris atque templis suis, si eum sancte pieque coluerimus, ac nobis ipsi non defuerimus, pugnaturum, notwithstandingque virtuti ac pietati non defuturum esse confidas. **B A V.** Non inuito ad aures meas tua isthac peruenit oratio. Nam vt fortē uirum, & cōtate integrum militē decet, bene spe ras, meq; vt idem faciam, multis rationib. exemplisq; adhortaris, & sane, modo id fieri possit, magnopere huic faueo sententię, sed me multa perturbant, quę alias proferentur. Nunc libet ordine sententias vestras exquirere. Dic igitur Serraia, meq; si potes prudenti tuo cōsilio, ex tantis curis miseriisque exime? **SERRAIA.** Difficile est id quidem optime Rex, & quod præter deum vix quenquam hominū præstare tibi posse arbitror. **B A V.** Cur quęlo? **SERRAIA.** Quia in tanta aduersitate fortunæ, vix optari fas est, vt curis molestiisq; pluri mis careas, etiam si miseras euaseris. **B A V.** Recte ais: Neque id ego propterea dixeram, quod me curis molestiis que vacuū esse posse sperarē. Sed te vt hortarer cōsilio, quo polles plurimum, me iuuares. **SERRAIA.** Utinam ea esset in me prudentia, quam mihi tribuis, quā ego mihi neque sumo, neque arrego. **B A V.** Pro modestia tua id facis: At ego quantum prudentia valeas, re ipsa expertus, intelligo, utinamque tibi bene monenti haētenus obtemperasse. Nam meliore fortasse in loco, quam nunc sunt, res nostræ forent. Itaque aperi mihi sensum animi tui, neque expectes, vt te interpellam. Libentius enim vt Hallatarem modo audiam, perpetua oratione sententiam tuam explicantem. **SERRAIA.** Postquam ita vis, parebitur tibi. Quam vellem Rex, vt rebus nostris ita fortuna arrideret, vt merito possem Hallataris, quem sedulo dixisse credo sententiam confirmare, ac spem aut victoriz, aut saltem defensionis iniicere, nihil enim libentius fecisset. Sed si res, quantum ego iudico, non sinit, satius esse duco, vt tibi utilia & vera consulam, quam iucunda & magnifica dicendo: vana spe te interim laetem, ac gratiam studeā aucupari tuam. Paulo post vero in cū locū res deducatur, vt ipsa si cupiat salus, te ac tuos seruare nō possit. Quid est enim quod nobis spem ullam certā præbere videatur: siue hostium opes ac vires, siue si nostras diligenter pensauerimus? Nonne omnia victoram illis polliceri, nobis perniciem, & huic vrbi excidium: nisi nobis mature consuluerimus, minitari videntur? Reminiscere quęlo (licet molestum sit) quotiens per hosce decem annos, quibus dirum hoc bellum frustra propulsare conamur, exercitus tuus fusus fugatusq; sit, quoties castra capta atq; direpta. Quot castella, quot oppida, quot vrbes, quæ adeo manu & natura munitæ fuerant, vt hostes, nisi à cœlo venirent, contempnere posse viderentur: partim vi & armis, partim terrore subacte in potestatem hostium deuenerint: Ad quod oppidum unquam Hispaniæ Rex admouit se exercitum, quod non cœperit? Quid concipiuit, quod non assecutus sit? Quocunq; se cōtulit, virtutem eius fortuna comitata est. Quid nunc opus est, vt damna, clades & calamitates, quas interim passi sumus, commemorem, cum eas, etiam si cupias obliuisci non possis, & hoc nihil aliud foret, quam obductum paulisper vulnus exulcerare. Hęc igitur omittamus consideremus si placet hostis potētiam. Longum esset referre quot vrbes, quot provincias, quot regna possideat. At non abundant iis rebus quę bello usui sunt: imo præter cæteras prouincias, iis refertur sunt maxime, vt enim omittam quod frumenti vini cæterarumq; rerum ad victimum pertinentium Hispania feracissima est, & equorum multitudine ac perniciitate reliquas anteit prouincias. Sicilia quæ Ferdinando paret, frugum mater appellatur,

pellatur, equos mittit omnium bellicosissimos, Calybes, ferrum tanta copia sufficiunt, vt  
inde in cæteras orbis partes asportetur. Auro vero, quo non minus quam ferro bellum ad-  
ministratur, hostes abundare quis dubitet? Cum Tagus & alia nonnulla eorum flumina  
arenis aureis fluere dicantur. Nam de militum numero quid attinet dicere? cum tanta se-  
illisponte multitudo offerat, plures quotannis sint domum dimittendi, quam ad bellum  
conuocandi. Quale vero & quantum sit eorum robur, quæ in cōmittendo prælio alacritas  
& audacia, in perseverando constantia, quantus in dimicando mortis contemptus, vt aut  
vincere aut mori parati sint, sèpius quam è re nostra esset experti didicimus. At dicet for-  
tasse quispiam exercitus ipse inuitus est, fateor. Sed duce & imperatore, qui illum norit  
regere, indiget. Vtinam ita esset, nam non foret necesse nos tunc tanta cum sollicitudine, &  
animi anxietate his de rebus cōsultare. Sed habet (habet inquam) ducem, cui nulla earum  
rerum, quæ in perfecto & consummato imperatore exiguntur desit, imo adsint omnes  
cumulatissime. Inuita hoc in loco versatur oratio mea, cogitur enim de acerrimi infestissi-  
mique hostis nostri laudibus dislerere, sed tantas vires habet veritas, vt etiam ab inuitis ho-  
stibus verâ confessionem extorqueat. Quæritur in summo imperatore rei militaris scien-  
tia. At Rex Hispaniæ in armis (vt ita dixerim) natus, ibi adolescentiam, ibi iuuentutem, ibi  
medium ætatem exercuit. Nâ pene puer bello, quod cum Barcinonensibus & aliis populis  
descendentibus à patre gestum est, paternis auspiciis militauit: in quo difficile dictu est (vt  
memorant) quantam indolem virtutis, quot signa fortitudinis, magnanimitatis ac futuræ  
probitatis ostenderit. Eo vero adhuc prætextato, cum Lusitania Rex magni vir animi ac  
virtutis, vniuersam fere Hispaniam circa Iberum, infinito pene exercitu inundasset, ac fa-  
uentibus pluribus eius regni principibus & tetrarchis, iam Castellæ regno tanquam opimæ  
prædæ incubaret. Ferdinandus, hostis nunc noster, tanta celeritate, tanta virtute, tanta de-  
nigè felicitate illum ex Castellæ regno expulit, vniuersam Hispaniam, quæ ad se dotis iure  
spectabat, recepit ac pacauit, vt non homo, sed numen aliquod de cœlo delapsum, tantum  
bellum, tam intestinum, tantis viribus omni ex parte subnixum, tam breui confecisse vide-  
retur. Nobiscum vero cum decimum iam annum, & quidem semper victor pugnauerit,  
quod genus belli, quæ dimicatio, quæ disciplina militaris, quæ calliditas, aut in comparan-  
dis hosti insidiis, aut deuitandis, & cætera id genus, ei ignota esse posunt: ac non assiduo v-  
isu percepta & cognita? Virtutes imperatorias quæris? At quanta sit Ferdinandi in subeun-  
dis periculis constantia, in rebus moliendis efficiendisq; velocitas, negotiis laboris patiē-  
tia, in agendo industria, in prouidendo consiliū. Ad hæc quanta sit eius animi magnitudo,  
mortis contemptio, veræ gloriae laudisq; cupidus, solertia, innocentia, rebusq; in omnibus  
temperantia. Et nos ipsi maxima ex parte sumus experti, & tot victoriæ maxima eius virtu-  
te summa cum gloria partæ declarant. De autoritate in Rege præsertim, superuacaneum  
est dicere, quem omnes socii ac populares colunt vt deum, nostri metuunt vt pestem. Iam  
vero felicitate quanta is esse putandus est, qui fortunam ipsam in omnibus bellis, in pote-  
state habuisse videatur: qui omnia sua consilia ita gubernarit, prospereq; perfecerit, vt ad  
extollendum exornandumq; ex hominibus eum virtus & fortuna cōtendisse credantur.  
40 Consideremus porro aduersum hæc omnia, quæ præsidia belli, quæ spes nobis sit reliqua.  
Virtuti tuorum militum fidere non potes, cum omne robur exercitus, superioribus bellis,  
& Malacensi Bastensiq; potissimum cladibus amiseris, vt enim quisq; fortissimus & auda-  
cissimus fuit, ita primus in acie cecidit. Si non virtus, at multitudine fortasse militum tibi au-  
get animos, sexaginta millia peditum: & eo amplius, vt Hallatar noster, dixit, in aciem e-  
ducere potes. Sed hæc si ad exercitum hostium comparentur, quid sunt, aut quid possunt?  
In quo etiam illud ineſt incommode, quod quo maior est turba: eo citius, si non bello,  
at fame ac peste, conficietur. Conferre vtriusq; exercitus inter se duces, & odiosum sane  
est. Sed si verum fateri volumus, licet Rex sis consilio prudens: in præliis audax ac manu  
promptus, non potes tamen cum Ferdinandio iure comparari à quo sèpius, victus, & semel  
50 captus: quantum ille in bello valeret, tibique præstaret: tu te ipse sensisti. Extrema vero  
auxilia tamdiu frustra expectauimus, vt stultum esse putem in eis spem ullam ponere.  
præsertim cum ita ferro, fame, incommode omnibus vrgeamur: vt bellum trahere,  
diutiusque ea expectare non detur. In præsentique nobis deliberandum sit: vt aut omnes  
moriamur, aut ditione faciamus. Et profecto licet vtrunque sit durum, tamen si ex duo-  
bus malis minus eligendum est, ditionem potius faciendam suadeo. Ad quod potissi-  
mum te hortari debent: Regis ac Reginæ Hispaniarum tum singularis humanitas, man-  
suetudo, facilitas: Tū summa in promissis constantia & fides, & aduersum eos, qui se spon-  
te dediderunt, inaudita clementia. Nam eos tam benigne tam indulgenter tractare di-  
cuntur: vt non seruorum (quodi iure belli possent) sed amicorum & sociorum quodāmodo

Dddd

loco habere videant. eosque suis legibus atq; institutis suo ritu ac ceremoniis viuere patiantur. Ut igitur in pauca conferam: cum neque ipsi ad resistendum hostis potentiae ac virtuti pares simus, neque diutius obsidionem, ferro ac fame urgentibus, tolerare possimus, neq; in externis auxiliis, iampridem frustra expectatis, spem habere debeamus. Contraq; liceat plurimum benignitati & clementiae Regis ac Reginæ confidere, quam primum ditione faciendam esse censeo. BAV. Dic tu Abdisbar. ABDIS. Tam multa sunt in utrinq; partem & ab Hallatare animose, & à Serraia dicta sapienter: vt illis auditis magis sim animi dubius, quam si in initio mihi sententia dicenda fuisset. Itaq; cum ea res in consultationem veniat, qua nulla maior excogitari queat, quippe in qua de fortunis omnibus, de liberis ac coniugibus nostris, de vita, de libertate, de aris atq; templis agatur, ego amplius deliberandum censeo. BAV. Merito vos omnes laudo nam & si vestris variis sententiis, satis me incertum dimisistis, tamen his hinc & hinc auditis, video propemodum quid mihi, Regnoq; meo expediat posse desplicere. Quanquam autem in Serraiæ sententiā, animus magis inclinare videtur: tamen quia à sapientibus viris solitum dici audio, consulendum cunctanter, a gendum vero esse celeriter: Placet in alium diem, iuxta Abdisbaris consilium, hanc consultationem reiicere. Ite igitur vos intro, & ad suum quisque munus redite, ac super his ceteriam atque etiam cogitantes, parati estote: vt cum vos iterum cum aliis nostri Regni procuribus, quibus cum placet hæc communicari, in concilium euocauero, nihil moræ sit: quin pari consensu, recte sapienterque mihi consulere possitis. Tu vero Abdisbar, ne à latere meo discesseris: nam est, quod te velim. ABDIS. Ego veronusquam abeo: & ad tuuus sa præsto sum.

## SPECULATOR RAGEL. BAVDELIS REX. ABDISBAR.

**V**inunc ego Regem quæram, aut quo primum intendam? Nam nunquam eodem in loco quiete diu: nunc urbis mœnia lustrat, defensoresq; in propugnaculis disponit, nunc in arce, quæ ad defensionem oportuna sunt, parat, modo hanc portam, quæ recta ad hostes tendit paulum egreditur, vt inde quid hostes moliantur prospectet, vt primus audiatur: quam vellem eum nunc obuiam dari, ne mihi in arcem transcurso opus esset, & hoc amplius ad lassitudinem adderetur. BAV. Abdisbar, quem video horum tendere? est ne hic speculator Ragel, an non est? ABDIS. Certe ipsus est. BAV. Non temere esse arbitror quod sic festinat. Hei misero mihi. ABDIS. Quid times? BAV. Quia per hæc tempora, ita sum assuetus audire quæ nolo, vt semper cum nuntium quempiam conspicor, mali quid animus præfigiat mihi. Heus Ragel. Quo properas? RAGEL. Hem. Quis me vocat? BAV. Respice ad me & scies. RAGEL. Oportune, ad te ibam. Salve Rex. BAV. Quid affer? late ne, an tristia? RAGEL. Non hercle certum scio qualia sint. Illud dicam, quod vidi, BAV. Expedi. RAGEL. Iam. Verum sine me, si libet, vel paulisper respirare, nam præ cursu vix loqui possum. BAV. Mos geratur tibi: Eia eloquere iam. RAGEL. Eloquor. Cum essem in specula, ad eamq; partem, quæ ad mare vergit, oculos conicerem, prospexi quosdam nouo habitu, quem nunquam ante hac videram, horum ad mœnia tendere, statimq; cucurri, vt id tibi nuntiarem. BAV. Amici ne, an hostes esse vissi sunt tibi. RAGEL. Nescio: Illud scio, quod properantes veniebant. BAV. Hostes sunt igitur. ABDIS. Quis scis an idcirco properent, ne Hispanorum, (qui omnia fere circum obsident) custodias elapsi, iterum in eorum insidias incident, ab ilisq; caperentur. BAVDELIS. Omnia timeo, & quid timeam nescio. ABDISBAR. Desine quæso male suspicari, & ad eas miserias, quas res ipsa, & aduersa hæc tempora ferunt, metum & sollicitudinem (vt reor) vanam adiicere, BAVDELIS. Cedo Ragel: qualis fuit habitus iste quem dicis. RAGEL. Censem' me potuisse ex specula tam citato omnia considerare ac perpendere: Illud tibi affirmare possum, quod eorum habitus proprius nostro quam Hispanico visus est. ABDIS. Rex ne dubita, nam nisi me animus fallit, amici sunt. BAVDELIS. Ita deus faxit. Sed opportune adest Bomilcar alter speculator. ABDIS. Hic te certiorem reddet.

## BOMILCAR. ABDISBAR. BAVDELIS REX.

**E**cquis me unquam fuit felicior nuntius? Nemo hercle quisquam: Nam tam bonitategi apporto, quantum à dis vix audeat optare. Sed ubi eum quæram? quem perconter? ABDIS. Audin' tu illum? BAVDELIS. Audio, sed quid dicat non satis intelligo. ABDIS. Latus est. BAVDELIS. Ita videtur. Heus Bomilcar. BOMILCAR. Haud mirum est reuocari properan-

properantem de via. Quis me vult? BAV. Is qui tibi imperare potest. BOMIL CAR. Hem, saluus sis Rex, te ipsum quærebam. BADELIS. Quid est Bomilcar, quid affers? BOMIL. Affero nuntium, cuius te maxime participé fieri velles, si scires quantum in eo sit boni. ABDIS. Dixin' tibi te frustra timere? BAV. Explica ergo quamprimum quid apportes, & metum, in quo nunc sum, adime. BOMIL. En adimo: Legati Turcarum imperatoris ad te cum muneribus veniunt. BAV. Qui id scis? BOMIL CAR. Quippe qui ex ipsis audiui. Nam, vt diligentis speculatoris poscebat officium, illis visis, curauit ut scirem qui nam essent, & quid ferrent, quibus cognitis ad te quamprimum aduolaui. BAV. Diligentiam tuam laudo. O summe rerum opifex gratias tibi ago, quod ex tot vnuſ tandem latuſ allatus est nuntius Abdisbar, propera illis obuiā, atque huc ad me quamprimum eos adduce. Nam vbi in tuſ quæ opus ſunt facta, imperauero mox huc reuertar, ut legatos hic coram omnibus honoriſſe excipiam, quo populus qui iam diſſidebat rebus suis ac nostris, horum aduentu aliquantulum à malis respiret. Vos ad ſpeculas veſtras redite, atq; heus curate, ut ita diligenter obſeruetis, quæ apud hostes gerantur omnia, ut ne muſca quidem illic ſe commouere, poſſit, quin à nobis statim certior fiam.

LEGATVS BAIACIT IMPERATORIS TURCA-  
RVM. ABDISBAR. BADELIS REX  
GRANATÆ.

20

**D**ic non potest quanta me cœperit voluptas poſtquam Granatæ mœnia proſpexi. Tot enim pericula maris ac terræ in tam longa peregrinatione paſſus ſum, ut nunquam me huc in columem peruenturum putarem. ABDI. Non mirum ſi gaudeſ. Quid eſt enim iu- cundius, quam extra pericula poſitum, præteriorum laborum recordari. Sed Rex egredi- tur. LEG. Salve optume Rex. BAV. Et vos ſaluete, LEG. Magnus Turcarum imperator cum his litteris ad te nos ire iuſſit, quas vbi legi mandaueris, quod veniamus explicabimus BAV. Lege has Abdisbar. ABDISBAR. Cedo: Soltan Baiazit magnus Turcarum imperator Baudeli Granatæ Regi. S. P. D. Qui tibi has reddidit, familiaris noster eſt magna apud nos autoritatis & gratiæ ei mandauimus, ut nonnulla nostris verbiſ tibi nuntiaret. Quare fidē 30 ei habeas, & quæ ex eo acceperis, putato ex me ipſo accepiffe. Vale ex vrbe noſtra Con- ſtantinopoli decima Calend. Octobris. LEG. Optume Rex magno animi dolore nuper affectus eſt inclytus imperator Turcarum: quod accepit ex tam munito, & viris, armis, e- quisq; affluent regno, nihi tibi reliquum eſſe præter hanc vnam vrbeſ imperii tui domi- ciliū, & tot quondam Regum potentissimorum fortissimorumque parentem, quos fe- runt vniuersæ Europæ populisq; Christiani nominis ſæpe terrori fuſſe. Reliqua omnia oppida, castella, vrbes, prouinciasq;: partim belli impetu & terrore perculſas deditio- facta: partim & maiore quidem ex parte, vi ferroque expugnatæ ac direptas, in hostium tuorum, imo communium, ditionem iuſq; confeſſisse, metuendumq; eſſe, niſi tibi aliunde ſuccurratur, ne cum magna tua tuorumq; clade, & ſimul Mahometis ſectatorum ignomi- 40 nia, aut hosti ſuccumbas, aut turpem ditionem facere cogaris. Cumque animaduerte- ret hoc incendium, niſi celeriter extinguitur, aut ſaltem subduetis fomentis imminuatur, facile poſſe latius diſfundiri, & Africam primo, deinde etiam Asiam fortaffe corripiere: ſta- tuit ad commune incendium extinguendum, communibus quoq; viribus occurrere, & pro virili parte, tibi regnoq; tuo, qua poſſet ope, non deeffe. Itaque nos huc ad te legatos misit, qui verbiſ eius polliceremur, primo quoq; tempore, quo tempeſtuum eſſet ad na- uigandum mare, eum ingenti clasſe Siciliam Sardiniamq; inuafurum, & ita illic omnia igni ferroque vastaturum: vt Hispaniæ Rex, ſuorum clade perculſus, & in diuersa di- ſtractus ab hoc affecto & prope iam confeſto bello deſiſtere, ſuisque opem ferre, ac po- 50 tius de propulsando quam de inferendo bello cogitare cogatur. Non minus autem liben- ter huc ad te ſubſidia imperator meus mitteret, niſi per tanta terrarum ac maris ſpatia abſ- te diuifus, id ſibi diſſicillimum periculofiffimumque fore existimaret. Quam ob rem optume Rex eius nomine te bono erecto que animo eſſe iubeo, hortorq; ut interim has bellī di- ſcultates ac pericula, longæque obſidionis molestias, patienter ſuſtineas, & quiduis po- tius in animum inducas quam ditionem facere. Id eſt enim Christianorum superbiz ludibrio eſſe, & in turpem perpetuamque ſeruituteim te tuosque tradere, ſperesque deos & homines auxilio tibi non defuturos, niſi per ignauiam, puſillanimitatemque (quod de tantæ virtutis viro nefas eſt ſuſpicari) prius tibi ipſe defueris. Munera autem hæc latto ani- mo vultuque luſcipe, ea enim tibi de more Baiazit mittit, ut ſint foederis & amicitiæ in- ter vos certiſſimum pignus, & monimentum, BAV. In tempore ipſo Legate cariſſime,

cum istis mandatis te inclytus imperator tuus, & ipsa (vt reor) fata miserunt. Ita enim eram bello fractus, tot curis fatigatus, tot malis, tot aduersis casibus oppressus, ita spes omnes tamquam vanæ ex animo exciderant, vt iam nihil fere aliud quam de facienda deditio cogitare. Nunc quando tam opportunum subsidium mihi Baizit pollicetur, certum est omnia experiri, extrema quæq; pati, etiam si ad humanos cibos redigeremur (vt in similibus, aut forte minoribus casibus Hierosolymitanos obsidete) Tito, ac plerosq; alios populos fecisse tradunt) potius quam deditio facere: præsertim cum plura imperatorem tuum quæ polliceatur, re ipsa præstorum confidam, ea animi magnitudine, ea potentia, ea postremo fide illum esse omnes prædicant, statimq; non committere, vt quando dii homines nos adiuuant (quod bene abs te dictum est) nobis met ipsi defuisse videamur. Gratiam autem quam pro tantis erga me meritis illi referam, in hac præsertim afflcta fortuna, nullam habeo: sed sperate debet illum quem pie colit communem deum, qui bene facta hominum audit ac videt, ac pro meritis vnicuiq; iusta præmia tribuit: gratiam sibi cumulatissimam relaturum. Ego vero si eius ope (quod spero) seruatus fuero, hoc imperium, hanc regiam dignitatē, & postremo hanc animam ipsam, quam spiro, illi acceptam referam, memoriamq; tanti beneficii colam beniuolentia sempiterna. Munera vero l. benter accipio, eaq; non tantum vt amicitiæ ac fœderis nostri, sed fidei, quam mihi seruaturus est, firmissimum pignus perpetuumq; monumentum in uiolata custodiā. Vos munera istæ intro auferte: ac dicite architriclino vt cœnam mihi & his nobilibus hospitibus regio luxu paret, volo enim nos hunc diem lætum festumq; agere, & cum omni gaudio & alacritate celebrare. Tu verolegate cum tuis regiam ingredere, vt dum ego sacrificiis intersum, ac deo nostro protantis meritis gratias ago, paulisper requiescas, & postea simul mecum in cœna recreeris. LEGAT. Ego vero ac lubens, nam de via fessus, quiete præsertim indigo.

FERDINANDVS REX. ELISABETHA REGINA. PETRVS MENDOZA CARDINALIS.

**Q**uis hoc non admiretur, tanta hos perfidos Mauros præditos esse pertinacia atque vcordia, vt cum vndique adeo circunsepti, vt vix quisquam nisi per incertos tramites & loca feris, capris pene inuia, ad eos penetrare possit, cum armis nostris obfistere? famem diutius tolerare nequeunt, tamen deditio (quam se dudum ostenderant esse facturos) procrastinent, & animum nostrum iam ad maiora tendentem, in hoc segni bello detineant occupatum? Nam si in aciem sæpe prodiret, minus ægre ferræ has obfidiendi molestias. Sed post prima illa prælia, quibus nostram militumq; nostrorum vim ac virtutem senserunt, semper se vallo ac mœnibus tutati sunt, nec aperti certaminis copiam ullam fecere. REG. Sapiunt mea quidem sententia, nam stultissimi forent, si virtute ac viribus inferiores cum supetiore contenderent. REX. Quid igitur faciemus? REG. Nempe vt cœpisti. Cum opus est fortitudine, aliisq; bellicis virtutibus, quibus polles plurimum, vt illis utaris. Cum opus est patientia, ab qua nonnunquam (quæ tua est animi magnitudo atq; ferocia) videris ab horrere, eam quoq; amplectaris, omnia enim tempus habent suum. Nunc meo iudicio, patientiæ tempus est, vt videlicet postquam hyems grauis instat, neque manum conserere audent hostes: neq; sine manifesto periculo ad urbis mœnia tanta militum frequëtia, tot scorpionibus, balistis, tormentisq; bellicis munita, licet exercitum admouere tuæ militumque saluti consulas, & equo animo has bellum motas perferas. CAR. Sapienter more suo, Reginæ tibi consulit inuictissime Rex. Nam capit is adire periculum, nisi necessitas urget, nō probo. Et sane quanto magis exuperas virtute, tanto æquius est reginam, atque adeo nos omnes, qui ex te pendemus, de tua salute esse sollicitos, omnesq; casus, qui homini accidere possunt, maturius expendere, & nonnunquam fortunam nimium fauentem metuere. REX. Fateor ita esse vt dicitis, sed tamen strenuis ducibus vetus illud verbum in ore semper esse consuevit: Non sine periculo fit magnum facinus ac memorabile. REG. Ad id periculum ubi de vita agatur, te adire minime velim. Qui scis an breui, si paulisper modo quietueris, veniam hostes oratum venient, seque cum id minus existimes, ultro dedant? REX. Nimis sero id facturos arbitror, nisi eos omnibus modis & artibus terruerimus, nisi eos nonnunquam passi fuerimus quiescere, nisi postremo omnes nos aditus explorare, omnes ad expugnationem urbis vias tentare persenserint. CARDI. Video te Rex inuadendæ urbis cupiditate flagrare, quod magnoper è laudo. Nam id magnitudini animi debet adscribi, verum à Reginæ consilio, quo te ad patientiæ adhortatur, non sine magna ratione discedendum puto. Nam si tibi iucundum est, gloriosumque existimas in præliis sæpe versari. consideres

sideres etiam oportet, non minorem fere gloriam consecutum esse Fabium Maximum, quam Scipionem. Siquidem Hannibalem Scipio in acie vicit, eundem antea Fabius iuueniliter exultantem, patientia sua domuit, & ut vinci posset effecit. Ille Africanus cognominatus est. Hic imperii scutum, & rei Romanæ restitutor à populo est vocatus. Imitatus es haec tenus Scipionem fortiter dimicando, imitare nunc paulisper Fabiu sapienter cunctando. REX. Laudo consilium vestrum, & eo utrū suo loco & tempore, sed mihi nunc aliud suaderet occasio, quæ prætermittenda non est. Nam & Scipionem, quem me dixisti haec tenus imitatum, & vere dixisti, utinamq; vt eius virtutem sequor, ita assequi possem, sed Scipionem solitum dicere accepimus, tunc esse cum hoste conligendum, cum aut necessitas 10 incidit, aut obuenit occasio. REGINA. Dic obsecro mi vir, quæ est ista occasio, quam tibi in præsentia secus quam nos consulimus, suadere dixisti? REX. Dicam, neq; enim fas est quicquam vobis esse absconsuac reconditum, sed animum aduortite. REG. Istuc sum. CAR. Et quidem ego præsto sum. REX. Explorator Didacus modo nuntiavit defensores paucos esse in mœnibus, eosq; patientia nostra, quia proximis diebus paulisper quiescerem permitti sunt, factos esse multo negligentiores solito. Idem ait se animaduertisse in posteriore vrbis parte, locū quendam non satis munitum, muro illic vetustate collapso, sed virgultis, sentibus & caprificis obiecto, eundemq; locum ab hostibus negligenter custodi, quod sit à castris nostris auersus, neque ex ea parte fuerint haec tenus ab exercitu nostro vexati. REG. Quid igitur facere cogitas? REX. Si tacueris, citius audies. REG. Taceo, ac lubens, nam mulieri decus affert taciturnitas. REX. Hoc mihi sedet in animo, quādo hæc se præbet occasio, bellū tentare fortunam letissimos milites, ex ea parte ubi locum diximus esse munitum, in insidiis collocabo, reliquum exercitum, ad hanc partem, quæ castris opposita est, ad mœnia admouebo, hi scilicet pugnabunt acriter, totumq; in se hostium impetu oculosq; conuertent. Interim fortasse dabitur occasio iis, qui in insidiis erunt mœnia defensoribus vacua capiendi, in vrbemq; irrumpendi. CAR. Profecto prudentissime istud consilium tibi venit in mentem, idq; magnopere laudo, nam prospere gerendæ rei facultatem omittere, extrema dementia est. REG. Placet hoc tibi consilium? CAR. Quid nū cum sit plenum prudentiæ. REG. Mihi quoq; ita videtur. Sed si pugnare statuis mi vir. REX. Statuo quidem. REG. Obsecrone ad mœnia propius accedas, vnde te balitur aut tormenta impetrere possint, nimis enim misere ea timeo. REX. Ne timueris: Deus enim cuius causam agimus, nos tuebitur, pugnabitq; nobiscum. Tu modo (ut solita es) ad ipsum, ac diuum Iacobum, quem tam pie colis, preces fundito: cōfido enim pro ea religione ac pietate, quæ in te summa sunt, tuis precibus victoriam nobis posse impetrari: quemad modum (ut sacra narrat historia) populus Israelita Mose orante vicebat. REG. Utinam quidem digna sim quæ audiar, nam piæ preces non deerunt, sed spero potius Deum (qui tuam sibi deditam mentem intuetur) qua non ad tuam, sed ad eius laudem & gloriam omnes actiones, conatus, cogitationesq; tuas dirigis, virtutem tuam adiuturum. REX. Ita pro sua immensa bonitate, non pro nostris meritis (quæ perexigua sunt) faxit. Heus tubicen admoneto omnes duces, centuriones & milites nostros, ad pugnam ineundam se parent: ut cum tempus præliandi mihi visum fuerit, nulla sit mora quin eos instructos in aciem educere valeam. Eamus iam hinc in castra, vt ego quoq; arma induam, & milites adhorter. REG. I præ, nos te sequemur.

## HAMETES EXPLORATOR. MANSIR CVSTOS.

NÆgo infelix homo, sum, qui nihil unquam nisi molesta ac tristia regi meo nūtiem. MAN. Iussit me Rex hic in porta, quæ ad hostes spectat, dum sacrī interesset, ac cœnaret, assidere, & qui intrarent quicq; exirent, diligenter obseruare, ac si quid ex hostium castris noui afferretur, renuntiare. HAM. Sed mihi ad Regem properato opus est. MAN. Quis est qui tam hoc festinat, & secum nescio quid fabulatur? HAM. Ut quamprimum Regem conueniam, & huius quicquid est participem faciam. MAN. Ibo obuiam homini, vt sciam quid afferat, nam nisi me oculi frustrantur, explorator est Hametes. HAM. Nisi enim is statim quoad potest, rebus suis ac nostris consuluerit, aut potius deus quispiam nos respexerit, actum est illicet perimus. MAN. O Hamete. HAM. Quis me vult. MAN. Mansir amicus tuus. HAM. Quid est quod me velis? MAN. Quid apportes scire velim. HAM. Regius sum explorator, non tuus. MAN. Verum, sed tamen licet ne mihi hoc saltē scire, lēta ne, an tristia apportes? HAM. Istuc tibi vultus & color meus, me tacente, indicare possunt. MAN. Tristia ergo sunt, nam & ora pallor occupat, & tristis ac perturbatus videris. HAM. Bētie ariolaris.

## BAVDELIS REX. HAMETES EXPLORATOR.

**P**rouiso quid rerum geratur, an nostri in officio sint, & item an hostes noui quicquam  
(vt assolent) moliantur. **HAM.** Regem opportune video adibo propere. **BAV.** O Hamete. **HAM.** Salve Rex. **BAV.** Quid affers? **HAM.** Heu me miserum. Non laeta. **BAV.**  
**H**em: Istuc haud mirum est, quippe qui per hosce annos aliquot nunquam nisi talia nuntiaueris mihi. **HAM.** Vt res sunt, ita nuntium esse oportet. **BAV.** Eloquere vno verbo quid id siet: Nam quandoq; magis cruciant expectata mala, quam praesentia. **HAM.** Regem Hispaniaz ex transfigis comperi, decreuisse exercitum omnem, cunctasq; belli machinas in  
mœnibus admouere, & fortunam quæ hactenus ei semper arrisit, experiri suam. **BAV.**  
Væ misero mihi. Nonne hoc monstri simile est, me non potuisse vel diem vnum integrum  
lætum agere? Paulum gauifus eram aduentu Legati imperatoris Turcarum, en statim  
hic nuntius perturbauit omnia. Verum illud profecto verbum est, quod à sapientibus dici  
audio: Risus dolore miscetur, & extrema gaudii luctus occupat. Sed quem horsum festinatem video? Audall a cursor noster est: aliquid credo apportabit eiusmodi: Præstolabor  
eum hic paulisper, nam iam hic aderit, ita in cursu velox est. Interim cogitabo quæ mihi facto opus sunt, vt hostium impetus, si urbem oppugnatum venerint, propulseam. Nam  
quando tanta nobis subsidia promittuntur, non decet me fracto & confernato animo ef-  
fe, & committere, vt prius per ignauiam aut metum, hosti succumbamus, quam à Turcarū  
imperatore succurratur.

## AVDVLLA CVRSOR. BAVDELIS REX.

**V**iego nunc regem quæram? qua potissimum insistam via? **BAVDELIS.** Quam cito Au-  
dulla curriculum eius sit, numne hominis celeritas fecellit? **AVD.** Regem opportune  
video. Rex æternum viue. **BAV.** Quid est? **AVD.** Recte. **BAVDELIS.** Quid recte? **AVD.**  
Audies, Offendi modo Tabellarium Numidiaz regis, qui deceptis hostium excubiis ma-  
gno cum periculo se euasisse narrabat, aiebatq; cum regis sui litteris ac mandatis quam læ-  
tissimis ad te properare, quo auditio ego præcucurri, vt te quamprimum hoc afficerem  
gaudio. **BAVDELIS.** Utinam tibi vera narrari: Sæpe enim Tabellarii (vt vulgo dici solet)  
in ore mendacium, in tabellis veritatem ferunt. Sed quicquid sit, eum ad me intro deduci  
curato. Nam militibus edicere volo, vt arma capiant, paratiq; sint, vt si hostis ad mœ-  
nia proprius accesserit, & impetrare & propulsare possint.

AVDVLLA CVRSOR. TABELLARIUS NUMIDIA  
REGIS. PVER.

**H**ospes quam cito me consecutus es, non videris sane lassus de via, **TABEL.** Assuetus  
sum huic labori. Nam à puer Africam Europamq; perferendis huc & illuc tabellis 40  
peragrai. **AVD.** Vere dictum est: Magni referre hoc vel illo modo ab ipsa adolescentia  
institutum esse: Sed rex iam te expectat, ei enim aduentum tuum nunciaui. **TABEL.** Vbi  
is est? **AVD.** Intus. **TABEL.** Fac me ergo ad eum deduci. **AVD.** Eain primis gratia hic re-  
stisti: I puer & recta hunc in Regiam ducito. Ibi rex est, nam ego hic amicum paulisper volo  
operiri meum, mox ego quoque istuc concessero. **PVER.** Præsto sum, tu me sequere.  
**TABEL.** Propera, sequor. **AVD.** Quam gaudeo me primum Regi aduentum huius Tabellarii nuntiasse: nam si vera mihi narravit, aliquam apud Regem inibо gratiam, quod primus  
ei id gaudium obiecerim, & simul aliquo forsan munere (vt in talibus solet esse liberalis)  
me afficiet. Sed hic meus amicus cessat diu, si ad constitutum venire volebat, iamdudum  
eum hic adesse oportuerat. Nam quæ est hæc hominum impudentia? Non satis habent  
amicorum vt opera, nisi etiam eos longæ expectationis mora defatigent. Sed Rex foras  
exit, lætus est, quantum video, verus fui nuntius. Ego vero ad meum munus abeo, ne Rex  
me hic videat otiosum, nam compellandi eum non satis idoneum tempus videtur.

## BAVDELIS REX.

**G**ratias tibi ago summe Jupiter, qui me ex alto miseratus, tandem tot miseriis ærum-  
naisq; nostris diuinam aliquam opem præstiturum significasti. Tu enim (tu inquam)  
paulo ante Turcarū imperatori eam mentem indidisti, vt insulas hostis nostri ditioni sub-  
iectas,

lectas, proponeret inuadere. Tu idem nunc Numidiæ regis oculos hactenus caligantes aperuisti, vt aliquando intelligeret, non posse hoc regnum cadere: quin secum magnam Africæ partem trahat, pariq; ruina inuoluerat. Tuitaq; hoc ei in animū induxisti, vt q; per litteras suas, quas modo hic tabellarius reddidit, mihi ostendit in auxilium nostrum, cum omnibus regni sui viribus, terra mariq; descendere proximo Vere decreuit. Quare pater omnipotens ne tanto tuo fauori deessem: Almansorem præfectum cum omni equitatu, & meliore copiarum parte iussi posteriore vrbis porta exire exercitumq; hostiam nihil minus opinantē à tergo inuadere. Spero enim te duce, illum facile casum victoriz inuenturum, aut saltem eatenus profecturum, vt hostis sibi quoque cauendum esse cognoscat, libenti-  
usque nos quiescere patiatur: interim promissa subsidia hic aderunt, & non solum propulsiōe bellum, sed etiam inferre poterimus. Nunc huc prodii, vt præsto essem, si illis auxilio opus foret, nam reliqua omnis copiarum pars in armis est, signum à nobis expectans aut si hostis exercitum ad muros admoueret, vt ad resistendum parati essemus. Sed quid est hoc quod Regina ita examinata ad nos egreditur? Non temere est, prodibo illi obuiam, vt quamprimum quicquid, id est, sciam,

REGINA GRANATÆ. BAVDELIS REX. ANTYPOHO SOMNIO-  
RVM CONIECTOR.

**M**iserame, quam timeo quorsum euadant hæc visa somniorum? Sed ecce Regem video. Salve vir. Salve nostra spes. BAV. Et tu quoque salua sis mea vxor, vnde tibi ista trepidatio? REG. Non ab re est, quia videlicet sum de tua exercitusq; salute sollicita. BAVDELIS. Istuc pudicæ, & virum suum amantis matronæ est. Sed quid noui est, quod nūc magis solito sis de nobis anxia. REG. Dicam tibi: Nam huc ea gratia ad te prodii. BAV. Dic quæso quid est. REG. Accepit e mandasse Almansori copiarum tuarum præfecto, vt hostes adoriretur, id nolle factum. BAV. Cur nolles? REG. Quia præter id quod disipli-  
cet, te tuam populique salutem in tam manifestum discriminem conieciſſe, somnium, quod proxima nocte vidi, maiorem in modum metteret. BAV. Antu somniis credendum esse existimas? REG. Quid nūc cum & ipsa in vtranq; partem multa somnia vera experta sim, & à sapientibus viris acceperim, solere deos per somnium futura nonnunquam mortalibus significare: an non in tuorum sapientum numero & somniorum coniectores habes? BAV. Habeo quidem, sed raro eorum opera vtor, quanquam ipsi ſæpe mihi persuadere conantur, ne somniorum monitus negligam, enumerantes Almicaris, Hannibal, matris Phala-  
ridis, Sophoclis, Socratis, & aliorum plurimorum tam philosophorum quam ducum som-  
nia, quæ non magis somnia quam oracula certissima fuisse contendunt. REG. Cum igitur somniorum veritatem tot exemplis confirment, & pluribus rationibus afferere, vt credo,  
possint, cur fidem illis abnegas? BAV. Non abnego omnino, sed non facile adducor, vt il-  
lis credam. Sed cedo istuc tuum somnium, REG. Visa eram secundum quietem videre ingenti suborta tempestate fulmen è cœlo magno cum fragore lapsum, templum  
quod Meschit dicimus, magno motu concutere, Mahometis & aliorum prophetarum  
nostrorum monumenta ad terram dare. Inde; statim in Africam transgressum, magna eius prouinciæ partem depopularier. Quo somnio exterrita, è sopore confessim corpus proripui, fuitq; in animo id tibi extemplo nūtiare, obtestariq; nequid magnæ rei hodie aggredereris: Nescio quid enim animus mihi præfigebat mali, ni verita essem, ne me nimiam (vt ais) fidem somniis adhibentem tuo more deluderes. Nunc cum accepissem te misisse præfectum cum exercitu, qui cum hoste confligeret, diutius mihi reti-  
cendum non putaui. BAV. Prudenter fecisti, nam & si ego non magnopere huius-  
modi rebus moueri, tamen nihil omittere quod vsui aliquando esse, & ad capiendum  
consilium pertinere possit, prudentis esse existimo, præsertim cum somnium istud tuum  
tale sit, vt videatur negligi non debere. Aduocemus igitur Antyphonem, qui nobis hoc  
somnium coniectet: Nam is præter cæteros in hoc genere pollere existimatur. ANTY.  
Ecce me, quid Rex iubes? BAV. Tun' hic eras? ANTY. Eram quidem. BAV.  
Quid igitur hactenus reticuisti? ANTY. Quia non decet seruum, dominis se colloquio  
impudenter ingerere, & simul quia Reginæ somnium me magnopere perturbauit. BAV.  
An tuid audisti? ANTYPOHO. Quid ni, qui inter hos comites tuos vna semper af-  
fuerim. BAV. Quid sentis, aut quæ te res adeo, vt ais perturbauit? ANTY. Non vna  
sed plurimæ. Cæterum velim Rex vt alios quoque coniectores, ac Mathematicos tuos  
conuoces, qui mecum vna hoc somnium interpretentur: Nam plurimorum iudiciū certi-  
us est, & dici solet, illic esse salutem, vbi fuerint multa consilia. BAV. Nihil opus est aliis.  
Nam plus vni tibi in hac arte tribuo, quam reliquis omnibus. Edissere igitur mihi vno

verbo, si potes, quid sibi velit hoc somnium. ANTY. Dicam, licet inuitus. BAV. Eloquere subito. Nam me istae tua plus torquet mora. ANTY. Finem Regni tui iam affore, hoc somnio significatur. BAVDELIS. Hem. Vnde coniecturā facis? ANTYPHO. Dicā: Tempestas quam se vidisse in somnis Regina commemorat bellum est, quo Regnum tuum, tanquam agri tempestate vastatum est. Fulmen, Hispaniæ Rex est qui nimis à cœlo missus dici potest: Nam vt vides, illi cœlum & sydera omnia fauent. Concussionē templi & monumentorum in terram casu, portendi autumo, hanc urbem breui in hostium potestatem venturam, & in ea non amplius Mahometis legem, sed Christi seruatam iri. Postremo transgressio eiusdem fulminis in Africam, & illa depopulatio, manifesto significant, hac urbe capta, bellum in Africam traiecerum, Hispaniæq; Regem, ea prouincia impetu belli 10 perculta atque prostrata, maiore ex parte potiturum. BAVDELIS. Heu me miserum, quā metuo, ne eueniant ista quæ vaticinaris. Ita enim apte somnium illud interpretatus es, vt nō somnium, sed oraculum aut historiā mihi viderer audire. Quid igitur faciam Antypho? ANTYPHO. Quid facias, nisi vt iram dei, qui tibi nunc infensus est, si possis, placare studeas, ac tibi Regnoq; tuo, dum licet consulas. BAVDELIS. Recte mones. Sed placandum deorum muaus ad te potissimum pertinet mea vxor, quæ cum religione ac pietate praestes, facilius nobis numina irata reconciliare poteris. REGINA. Nihil faciā libentius: non quod pietate superiorem me existimem, sed vt quemadmodum meo somnio mala fata tibi cognita sunt, ita meis precibus, si fieri possit, eadem auertantur. BAVDELIS. Ita deus faxit, abi supplicatum. REGINA. Abeo, vos me sequimini.

BAVDELIS REX. ANTYPHO. MES-  
SI CURSOR.

**N**unc vana spes est in exercitu nostro qui si bene rem gesserit, non erit tam cito fortassis omnino desperandum. Si male, actum est illicet. Ita ne censes Antypho? ANT. Quid sentirem iam tibi explicui. Ita profecto somnio dei voluntatem mihi perspicere visus sum, vt vix fieri posse putem, amplius vt læti quicquam aut prosperi nuntietur. BAV. Tace. Iam sciimus, num quæ in exercitu spes reliqua siet. Messi cursorem ex nostris, qui cum praefecto exierat, hic properantem video: praestolari volo, vt primus sciam quid boni aut mali 30 afferat. Væ misero mihi, vt animus inter spē & metū dubius trepidat: festina Messi, vt mihi nunc piger videtur. ANT. Non mirum. Nā cupido animo celeritas ipsa tarda est. Sed quid properas scire, quæ fortasse post velles nescisse. BAV. Quoniam hoc more humani ingenii euenit, vt nimis miseri mortales miseras suas scire properet. Messi, Satin' saluæ? MES. Vtinam. BAV. Quid mali est? dic statim mihi. MES. Exercitus. BAV. Quid exercitus? MES. Tuus. BAV. Iam teneo, fusus est? MES. Imo ad internacionem cæsus. BAV. Heu memiserum, perii, interii, nullus sum. ANTYPHO. Net crucia obsecro Rex. BAV. Occidit, occidit spes omnis, & fortuna nostri nominis, exercitu amissio. ANT. Quin satius est, vt dum tempus est, priusquam hostis vsus victoria, moenia inuadat, seniores & proceres tuos in concilium huc euocari iubeas, ac de eorum consilio, tibi regnoq; tuo, quoad fieri possit 40 consulas. BAV. Bene mones, praesertim cum ego præ dolore vix sim apud me. Tu temeriter cura, vt Serraia cum reliquis, quos solitus sum in rebus grauioribus consulere, subito huc adsint. ANTYPHO. Curabitur. BAV. Atceleriter. ANTYPHO. Iam faxo hie aderunt.

BAVDELIS REX. MESSI CURSOR.

**I**nferim volo ex cursore rem certius cognoscere. Dic mihi Messi, si exercitus noster funditus deletus est, quoniam modo tu incolumis euasisti? MES. Dicam tibi, prælium in contrarie istac sinistrorum commissum est, me præfectus in ædito ac tuto monte, vnde 50 spectari possent omnia, locarat, quo tibi victoria aut fugæ nuntius esset, cuncta itaq; vidi, & ad te propere cucurri. BAV. Cedo: Ipse præfectus quid? MESSI. Occidit una cum ceteris. Stronuissimus enim quisq; in pugna cecidit, pauci admodum viuilibet sauci, in potestatem hostium redacti. BAVDELIS. Quid, Rex ipse in prælio interfuit? MES. s. Non interfuit solum, sed præfuit, vidi ego illum nostrorum sanguine madentem, per totum agmen manibus, oculis, clamore volitare, & strenui militis, & optimi simul imperatoris officia exequi. BAVDELIS. Male est, mihi, reuertere ad tuam speculam, vt obseruos, quid hostes parta victoria moliantur. MES. Fiat.

BAVDE-

## BAVDELIS REX.

**O** Fortuna, quæ soles esse tam inconstans & varia, ut in meam meorumque cladem ac perniciem constans & certa es? Decimus agitur annus, ex quo nullum fere diem latum exegi. Omnia semper aduersa fuere. Raro quicquam nisi turbulentum, triste, ac molestem aut audiui, aut vidi. Res dura, spes multo fuit asperior: hodie paululum gauisus eram aduentu legatorum, heu misero mihi, quam cito ad luctum & lacrymas ea gaudia reciderunt. Sed eccum Antyphonem, cum Sarraia & reliquis senioribus adesse video.

10

ANTYPHO. SERRATA. BAVDELIS REX. HALI CONSULTOR.

**I**Tane censem? **SERRATA.** Proorsus ita, Nam nulla alia salutis via ostenditur. **BAVDELIS.** Heus Antypho diligens fuisti in mandatis nostris obeundis. **ANTYPHO.** Meo functus sum officio. Sed non fuit opus me in his conuocandis magnopere laborare. Nam audita clade exercitus quam incertis rumoribus nescio quo modo acceperant, sponte conuerterant omnes. Iamq; huc ad te ibant, te vt orarent, tandem aliquando tuæ communiq; omnium saluti prospiceret. **BAVDELIS.** Audierunt ne quæ gesta sunt omnia? **ANT.** Plura quam vellent. **BAVDELIS.** Vidistis ne vnquam hominem infeliciorem, quæ ego sum? **SER.** Me, atq; adeo hos omnes collegas meos, quippe qui tuam ac nostram vicem doleamus. **BAVDELIS.** Non ita est. Nā quo meus status est sublimior, eo casus est altior, & ruina grauior. **SER.** Verum est, sed tu stare potes nobis cadentibus, nos te cadente, salui esse non possumus. **BAV.** Missa hæc faciamus, quid tandem in tanta aduersitate fortunæ mihi consultis? **SER.** Dicant ipsi, quibus cum, vt iussisti, communicaui omnia. Nam quid ego sentirem, in initio cum nondum esset subsecuta clades exercitus, tibi explicui. **BAV.** Dic Hali quid tibi videtur? **HALI.** Mene? **BAV.** Te ergo, quem vt ætate, ita prudentia cæteros ante ire par est. **HALI.** De prudentia alii iudicent, studium certe & fidem erga te meam, summaq; in consulendo libertatem tute nosti. **BAV.** Nil deest tibi quod ad fidum amicum, & summum vitum pertineat. Sed dic quid consilii mihi capiendum sit, **HALI.** Quando ita iubes, dicam id quod mecum vna omnes isti sentiunt. Nam iamdudū internos hanc rem tractamus, & super ea disceptamus, **BAV.** Hem istuc volo, & si potes, uno verbo expedi. **HA.** Iam omnes quamprimum deditonem tibi faciendam esse censemus. **BAV.** Hem. **HALI.** Quid dubitas? cum id non modo necessarium, verum etiam utile sit. **BAVDE.** Quomodo? **HALI.** Primum vides amissio exercitu & omni flore iuuentutis, nullam tibi amplius in armis spem fore, metuendumq; esse ne hostis, tanta victoria elatus mœnia inuadat. Quod si fit, perimus omnes illicet. Vt enim vrbe expugnata (quod tantæ potentie ac virtutis viro erit perfacile) aut mortem crudeliter oppetemus, aut in prædam miserandamq; seruitutem, vna cum coniugibus & liberis trahemur. Deinde, vt hostis quiescat quod (mihi crede) haud faciet, non intelligis hunc populu, tanta senum, puerorum, ac mulierum turba superstite, cum iam omnium nos alimentorum genera defecerint, famem diutius tolerare non posse? Nam in externis auxiliis spem ponere, ea vero summa foret dementia. Vt enim omittā, quod ea iam pridē frusta expectamus, illud dico, si vniuersa Asia & Africa in auxiliū nostrum cōsürgeret, vix fieri posse, vt hanc vrbum ex faucibus imminentis hostis, iam, iamq; absorbentis eriperet. **BAV.** Quæ nos vis belli vrgeat, & famis necessitas sat scio. Sed ego morte seruituti anteponendam puto. Nam quid est aliud se dedere, quæ in seruitutem se hosti addicere. **HALI.** Non ita est Rex. Magni enim referre arbitror cui te dedas. Primum Ferdinando & Elisabethæ Hispaniarum principibus subesse, non seruitus sed libertas appellanda est. Sunt enim (vt nostri quoq; fatentur, & constans fama prædicat) tantæ humanitatis, mansuetudinis, atque clementiae: tantum in summa potestate rerum omnium modum tenent, adeo denique sunt omnibus animi & corporis dotibus ornati, vt beatius pene videatur, illis seruire, quam aliis imperare. Deinde si te sponte dedideris, non vt seruum, sed vt clientem, & amicum in suam fidem, qua sunt benignitate (mihi crede) recipient. Rondenses, Loscani, & pleriq; alii, qui se sponte deddere, quibus nihil pene ademptum est, præter iniuriæ licentiam, quique pari quodammodo iure cum Hispanis viuunt, Regiæ humanitatis & clementiae locupletissimi testes sunt. At Malacenses (vt alios sileam) qui obstinati animis bellum impetum experiri voluerunt, patria capta & direpta, in catenis per omniem Europam traxti, suo ludibrio omnes gentes impleuerūt. Postremo si tibi consilium caperes, forsitan tuam istam animi magnitudinem non improbare, qua dicere soles, præstare virorum more, pugnantes occumbere

quam vlli hominum subesse. Nunc cum simul etiam deliberandum tibi sit, de coniugibus & liberis, atque omni populo ditioni tuæ subdito, si tibi minus parcis, at illis parcas, & tua pertinacia non cōmittas, vt ea illis eueniant, quæ vrbe capta victis accidere solent, quæ quidem talia sunt, vt ea fugiat ac reformidet oratio. Quare cum necessitas te, vt fateris, vrgeat, vtile sit, & non indecorum tam modestis, tam mitibus, tam omni virtutum genere præstantibus principibus colla submittere: nihil cunctandum, quin statim dditionem facias, censeo. BAV. Ita vobis videtur. HALI. Non solum videtur, sed id vt facias, etiam atq; etiam obsecramus. BAV. Fiat. Nam malo vobiscum errare, quam mea prudentia fretus, recte sentire. Eamus igitur intro, vt oratores eligam, & ea, quæ ad dditionem faciendam pertinent, parem.

GVTERIVS PRÆCEPTOR MAIOR EQVITVM IACOBENSIVM.  
FERDINANDVS REX. PETRVS CARDINALIS.

**E**ST vt dixit Rex: Non enim satis est bono imperatori vincere, nisi etiā victoria vti sciat. REX. Et propterea quando hæc victoria nobis cœlitus data est, decreui, vt soleo, successus meos vrgere, numinumque fauori instare. Atque ea gratia huc prodii, vt hinc procul considerarem, in quam potissimum murorum partem machinas dirigam, qua vineæ a-gendæ, vbi scalæ admouendæ sint, vbi equitatus, vbi peditatus disponendi, vbi insidiæ collocandæ. GVT. Sed quis vnquam putasset Mauros istos ausuros esse exercitum tuum vltro lacesse, cum plures iam menses præ timore portas vrbis egredi formidarint? REX. At suæ stultitiae ac temeritatis debitas poenas dederunt. Verum hoc nihil est. Cras faxo vt nostram ac militum vim melius sentiant. Certum est enim vrbem cras primo mane, omnibus viribus totaq; belli mole adoriri, indeq; non nisi ea expugnata & solo equata discedere. GVT. Facile id fuerit, si tua virtute ac militum rebore vti volueris. REX. Ita spero. Sed ego haec tenus hanc expugnationem distuli, quod ostendebant hostes, quotidie fere dditionē sese facturos. Ego autem militum saluti, (quos filiorum loco d'ligo) prospiciens, libentius longæ obsidionis tardia sufferebam, quam eos in discriminem adducerem. CAR. Rex viden' tuillos vrbe exeuntes? REX. Video nunc, postquam oculos in eos conieci. Sed quos nam eos fore putemus, aut quid ferre denique CARDI. Nescio, nisi quod inermes horsum veniunt, & si satis cerno, oliuæ ramum paciferæ, manibus gestant. REX. Demiror hoc quid sit, nisi forte sint Oratores, qui veniant vt se dedant, veniam pacemq; postulent. CARDINA. Bene sibi, si id fecerint, consulent. REX. Nescio quid inter se colloquuntur, auctoritate eorum sermonem, & eo pacto, quid veniant, sciemus. CARDINALIS. Istuc optimum est.

ORATOR BAVDELI S REGIS. CARDINALIS. FERDINANDVS REX. GVTERIVS.

**P**ROFECTO quanto magis magisq; cogito, tanto magis hanc dditionem laudo. CARDI. Auditu illum? Nescio quid de dditione loquitur. REX. Audio. ORATOR. Nā hac potissimum via, salutem nobis, coniugibus, liberisque nostris parabimus, & vrbem direptione excidioque, quod imminebat liberabimus. CARDINALIS. Non dubium est, quantum audio, quin isti dditionem facturi veniant. REX. Ipsí viderint. Nam ego vtrum malim, nescio: si enim se sp̄ote dediderint, militum saluti (quos in discriminem adducere non erit necesse) prospexero. Sin obstinato animo obsidium tolerare voluerint, virtutis exercenda, adipiscenda gloriæ latiore campum præbuerint: siquidem magis virtus enitescet, & cumulatior erit nostra gloria, vi & armis expugnata Granata, quod breui consequemur, quam spontanea hostium dditione recepta. ORATOR. Opportune Rex adest, & non præuideram. Procidamus ei ad pedes, Salue Rex inuictissime, & omnium quos terra sustinet, gloria & honore dignissime. Cum te non lateat quam graue durumq; videi debeat homini cum Regia dignitate nato, & ab ipsis pene incunabulis, pluribus populis gentibusq; imperare assueto, alienæ se ditioni sp̄ote subiicere, existimare merito potes nō sine summa vrgetiq; ratione Baudelimi Regē haec tenus nostrū, dditionis faciēde (cuius gratia nūc ad te Magnatime Rex venimus) consilū cœpisse. Licit enim fames, ferrū ac postremo rerū omnium difficultas ad hoc illū impellere videātur, tamē (mihi crede) plus apud eum, eosq; omnes, opinio & quodāmodo certa spes tuæ bonitatis, fidei, atq; clemētiaz valuit. Nisi enim ipse, omnisq; populus eius ditioni subiectus te his, quas modo nominaui, reliquisq;

reliquisq; tuis singularibus virtutibus erga se usurum consideret, quibus potius perpeti, quam  
 tibi se tradere cogitasset. Nō deerat profecto nobis animus, si vis ferri usque, mortem fortiter  
 pugnando oppetere, aut fame ingrauescente, eam quoquo modo tolerare patienter,  
 donec aut amici promissa subsidia mitterent, aut deus fortasse quispiam nos respiceret. Ve-  
 rum hęc (quam dixi) opinio, & spes de tua summa bonitate persuasit, ut viuere etiam nunc  
 Baudeli ac nobis omnibus libeat, neque pudeat, tibi tam inclito Regi, tam benigno misericordique  
 victori, cervices summittere. Itaque Baudelis nomine, ipsam, omnem populū,  
 urbem, agros, diuina humanaque omnia in ditionem arbitratumque tuum tradiimus. Nūc  
 tuum fuerit, ne illum nosque simul hęc spes frustretur, prouidere. Quod ut facias etiam at-  
 que etiam suppliciter oramus & obsecramus. REX. Prudenter factum est ab rege vestro  
 ac vobis: quod nostram benignitatem quam vita & arma experiri maluistis, quodque nullum  
 vobis esse ad salutem tutiorem portum intellexistis, quam ad nostram fidem clementiamque  
 configurare. Quod ne frustra feceritis, sedulo à nobis (bono animo estote) curabitur.  
 ORAT. Ita speramus optime Rex. REX. Cæterum quo certior sim huic ditioni  
 nullum subesse dolum, iubeat statim Rex nobilium liberos obsides dari mihi, arma omnia  
 hue transferri, captiuos exChristianis, quotquot in urbe sunt (quorum salus ac libertas mihi  
 præcipue cordi sunt) ad me deduci. ORATOR. Et hęc & alia quæcunque iussieris, faciet,  
 ac labens Baudelis seruus tuus ne dubitaueris. REX. Ite ergo & hęc curate. ORATOR.  
 Factum puta, REX. Tu Gutteri cum lecta peditum manu paratus sis, ut cum obsides dede-  
 rent, & hoc arma detulerint, urbem recipias: portas, arcem, munitaque omnia urbis loca,  
 validissimo praesidio firmes. Id ubi feceris, ex summa arcis turre solita nostra signa extollito.  
 Tibi enim tanquam praceptor maiori equitum Iacobensium, merito debetur hic honor  
 & labor. GVTTE. Nihil unquam in omni vita feci libertius, quam hoc facturus sum, etiam si  
 vita periculum, (quod nullum imminet) mihi esset adeudum. Nam quid mihi potest euene-  
 re gloriosius, quam me primum post tot saecula, in arce Granatae, dei nostri & tua victoria  
 signa collocasse? Vos commilitones mei, ea arma sumite, & mecum ad urbis portas propius  
 accedite, nolo enim ut ulla sit mora, quin statim, cum tempus fuerit, urbe potiamur.  
 CARD. Quantæ tibi Rex laudi, & quam immortali gloriae hoc fore putandum est, cuius co-  
 filio, ductu, ac virtute singulari, hoc tam diuturnum, tam crudele, tam intestinum, ac vi-  
 scribus ipsis Christi fidelium inhaerēs incepsum, administratum & cōfectum est bellum?  
 Cum tantum Gutterius noster (& merito quidem) iam nunc glorietur, se primum Granatae  
 portas & arcem, tuo nomine victorem intraturum. REX. Quin petius deo nostro, à  
 quo emanant bona cuncta, gratias agamus. CARDI. Ut pius & catholicum principem  
 decet loqueris. & vere. Deus enim tibi eam mētem indidit, ut solus eam maculam delere  
 velles, quæ iā infederat, ac per tot saecula inueterauerat in populi Christiani nomine, quod  
 Mahometis sectatores, qui Asiam iamdudum nobis Africamq; eripuerant, non modo suis  
 latissimi terminis contenti non esseyt, sed in Europa, peculiari nostra debaccharēntur. Idē  
 in suscepso, contra perfidos istos Mauros bello, istam constantiam & patientiam contulit,  
 ut nullo labore, nulla inedia, nullis vigiliis, nullis deniq; incommodis molestiisq; frange-  
 teris. Idem in tot maris ac terrae periculis incolumem te custodiuit, & postremo ad hunc  
 seruauit diem, ut quod maiores nostri semper optarunt, sperauerunt nunquam: Granatam  
 cum vniuerso eius Regno, videoas tuis armis, tuo consilio, ac singulari virtute subactam, do-  
 mitam, ac pacatam, in tuam ac Christianorum potestatem deuenisse. REX. Est ita ut dicis:  
 Ego hęc & si qua alia sunt in me, quæ digna sint laude, yni deo accepta refero. Sed eccum  
 arma exportant, obsidesq; ad nos adducunt: dubitari non potest, quin sint ingenui & no-  
 bilium liberi, ita sunt facie liberali. Heus comites mei, illos suscipite, & curate ut per vestra  
 distributitēria diligēter custodiātur, & simul arma in tēplū referātur. Hem: optime est.  
 Gutterius noster perbenigne in urbe recipitur. CARDINA. At ego istuc nō aduerteram.  
 O factum bene verum aliud sperandum non fuit. REX. Sed optimum factum est: me  
 huic euocare exercitum ad me. Iubicen: & Praefectos, Tribunos, Centuriones, reliquos  
 quæductores exercitus: meis verbis moneto, ut cum omnibus copiis, tanquam si cum ho-  
 ste dimicandum esset instructi, quamprimum huc adsint. CARDINA. Prudentissimi  
 (vt soles) imperatoris officio fungeris: dum ita te comparas, ita ad omnes casus, tam pro-  
 speros, quam aduersos instructus: & multo ante paratus es: vt nihil quicquam acci-  
 dere possit, quo dicendum tibi sit: non putaram. Nam si hostes in fide manserint: tuto  
 & honorifice cum omni equitatu & peditatu urbem ingredieris. Sin quis dolus  
 aut fraus subsit (quod vix credibile est in tanta ipsorum clade ac rerum omnium de-  
 speratione) paratus eris, qui eorum perfidiam vlciscaris. REX. Dicis id quod  
 res habet. Sed video ego, an non, crucis signum in summa arce eleuatum? & sans

nisi me oculi fallunt, ipsum est. CARDINA. Recte vides, illud ipsum est. Iam igitur arx cū  
vrbet tota, libere in manu est tua. REX. Adoremus eam. CARDI. Iustum est. REX. Et pro-  
tantis erga nos meritis deo gratias agamus. CARDINA. Aequissimum. Sed cum tantis re-  
bus nullae voces sufficient, efficacius corde, cuius scrutator est deus, satis fieri poterit. REX.  
Ita est. CARDINA. Eccum autem post crucem, diui Iacobi vexillum, ac deinde tuum  
elatum est. REX. Bene istuc. Nam Diuus Iacobus Dux & aduocatus noster est, & illi cum  
beata virgine post deum victoriam hanc referre debemus acceptam. CARDI. Sed præ-  
conem è summa arce silentium sibi tubæ cantu poscentem, visus sum audire. REX. Et  
quidem ego. CARDI. Attendamus quæso quid nam dicturus sit. REX. Placet.

10

## PRÆCO.

**V**Iuant viuant æterna laude atq; gloria Ferdinadus & Elisabetha Rex & Regina Hispa-  
niarum illustres, quorum opera, ducta felicibusq; auspiciis, summo labore, incredibili-  
li virtute, diuino consilio, potentissima hæc vrbis Granata, cum omnibus prouinciis, ciui-  
tatibus, castellis & oppidis, eius imperio subiectis, Deo duce, Regina cœli Maria, diu quoque  
Iacobo Hispanæ patrono, suffragantibus, Beatissimo patre nostro Ianocentio octauo, Pó-  
tifice Maximo, liberalissime opitulante. Ad hoc præfulibus, principibus, ciuitatibusq; ca-  
stellæ, pro se quibusq; sedulo elaborantibus, ex impia & tenebricosa Mahometana serui-  
tute eruta, in veri dei lumen translata est & Regnum.

20

## CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

**S**ane præmio dignus est præco, qui tam egregie suo functus est munere, licet plurima  
quæ in tuam Reginæq; laudem & gloriam vere dici poterant, prætermiserit. REX.  
Mihi sat est recte fecisse. Nam gloria, etiam si id non agamus, tanquā vmbra corpus, benc-  
facta consequitur.

## CAPTIVI. CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

30

**B**enedictus dominus deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. CAR-  
DINALIS. Canentes nescio quos audio. REX. Agmen est eorum, quos ex nostris ca-  
ptos Mauri diu in compedibus & vinculis tenuerūt. Miserum me, vt sunt senti, squalidi, lu-  
ridi, laceri, toto denique habitu vultus & corporis deformati. CARDI. Tales sunt, vt vix  
vxores & liberi eos agnoscere posse videantur. REX. Cuius mentem, vel ferream, miseri-  
cordia non tangat, si eius oculis tam dirum spectaculum sit obiectum? Procedamus pau-  
lulum illis obuiam. Si enim seruitutem istam æquo animo propter fidem tulerunt, in mar-  
tyrum quodammodo numerum referri possunt. CAPTI. Rex æternum viue, cui tantum  
debemus, quantum hominem homini debere vix fas est. Tu enim nobis libertatem, quæ  
bonis vita est carior. Tu patriam, qua nihil est iucundius. Tu liberis nostris parentes. No-  
bis liberos. Tu coniugibus nostris viros, nobis coniuges. Tu propinquos, affines, amicos,  
fortunas, & deniq; nosmetipso nobis reddidisti: omnia quæ ab homine optari possunt bo-  
na, simul cum libertate amiseramus, ea nobis per te hodierna die restitura sunt. Pro quibus  
omnibus gratias tibi agere superuacaneum est. Quis enim pro immortalibus tuis erga nos  
meritis conuenire existimet, vt tam vili munere defungamur orationis? Gratiam autem  
referre non est nostræ facultatis, sed eam sperare debes ab illo cuius vexilla secutus glorio-  
sam hanc de hostibus eius victoriam reportasti, qui pia hominum facta ex alto prospiciens.  
singulis præmia digna muneratur. Nos quod possumus, te non solum vt Regem id quod  
es sed vt parentem, & si fas est dicere, deum salutis nostræ, vitæ, libertatis, fortunæ colemus,  
& dum spiritus hos artus reget, obseruabimus. REX. Neque à vobis neque adeo à quo-  
quam hominum istas gratiarum actiones vnquam desiderauimus. Id mihi iucundissimum  
est vos videre liberos & incolumes, pro quoru salute, acrius quam pro imperii propagatio-  
ne & gloria dimicauimus. CARDI. Istuc recte. Satius quippe & gloriiosius ciuem vnum  
seruare quam multos hostes perdere. REX. Tu dispensator hos in castra ad Regi-  
nam deducito, & abluto squallore, congruentibus vestibus exorna, nihilque quod  
ad cultum aut viatum pertineat, eis defieri patiaris. Vos vero bono animo estote.

CAPITV. Quid ai simus? cum te viuum ac victorem  
videamus.

REX.

## R E X . C A R D I N A L I S .

**O**pportune Reginæ mentio incidit, eam cum principe cæterisq; liberis nostris quam primum huc adesse oportet, vt nobiscum vna vrbem ingrediatur, sitque nunc particeps honoris & lætitiae, ita vt haç tenus particeps sociaq; fuit laborum, vigiliarum, periculorum. **C A R D I N A .** Imitata est Ipsycrateam, quæ virum in castra ac per omnia bellorum discrimina secuta est. Sed tua: consilio, prudentia, animi magnitudine longe illa superior est. Nam de pudicitia, qua Lucretiæ par est: amore coniugali, quo Iulia Pompeii, aut Portia Brutii non cedit, reliquisq; virtutibus, quæ ad consummatā matronam spectant, dicere superuacaneum est. **R E X .** Hui tu mihi illam laudas. Sat scio nihil tam magnifice dīcī posse quin id excellens ac diuina illius virtus longe exuperet. Puer curre propere, ac Reginam cum liberis, reliquoq; comitatu huc meis verbis euoca. Sed Baudelis egreditur cum suis satrapis. Nescio quid mœstus secum loquitur. **C o n c e d a m u s** hinc paululum ad dexteram vt nos tardius videat, possumusque interea sermones eius aucupari.

## B A U D E L I S . F E R D I N A N D V S R E X . C A R D I N A L I S .

**Q**uis vnquā existimasset, qui annos ad hinc decē me tot diuitiis opibusq; affluentē, tanto equitatu ac peditatu stipatū, tot oppidis, castellis, vrbib. opere ac natura munitissimis cinctum vndiq; ac vallatum, omni deniq; bonorum copia florentem vidisset, fore aliquando, vt in has ærumnas miseriasq; quæ nunc me premunt, incidērem? O fortuna, quæ dīci soles nunquam esse perpetuo bona, vt ex illo tempore, ad hoc, aduersum me es perpetuo mala? **R E X .** Hic mihi consolandus est, ne se adeo maceret. **C A R D I N A .** Bene factum Rex. Nihil est Baudeli quod tantopere fortunam lamenteis tuam. **B A U D E L I S .** O salue Rex inuictissime. Nuper tibi vrbem cum omnibus meis fortunis tradidi. Nunc me ipsum, coniugem, liberos spesq; omnes meas: & si quid est mihi amplius reliquum, absque vlla exceptione dedo. Illud duntaxat per tuam istam dexteram victoria, & fide gloriosam te oro, vt cū de me, coniuge liberisque deliberare voles, non victoriam (quæ natura insolens & superba est) sed tuum mitissimum ingenium, tuam solitam humanitatem, mansuetudinem, clementiam, quas egomet, dum tuus captiuus fui, expertus sum, in consilium adhibeas, fortunamque, cui tantum de me licuit, reuereare. **R E X .** exurge ac bonum habeo animum. Sensisti haç tenus, quantum aduersus hostes in bello valerem, qualis vero in pace sim, præsertim aduersos eos, qui ad nostram fidem misericordiamque confugerunt, posthac senties, erisq; documento ceteris, vt experiri malint, quid possim prodeesse amicus, quam obesse inimicus. Vos eum in castra comitamini, vrbis curate vt honorifice accipiantur. Sed heus cōcedite istorum ad sinistram, ne is Reginam ad nos (vt video) cum comitū suorum pompa, aduentantem vsquam remoretur.

## R E G I N A . R E X F E R D I N A N D V S .

**S**alue Rex. Omnia tibi ex sententia hodie obtigisse maximopere gaudeo. **R E X .** Credo quandoquidem tu mearum omnium voluptatum, honoris, & gloriæ particeps & sociæ es. Introeamus iam vrbem, vt eius possessione (quod tot suspiriis, tot votis nos ac maiores nostri tam diu optauere) tandem aliquando perfrauamur. Deoq; nostro gratias agamus quia tot curis, tot dispendiis, tot molestiis, laboribus, periculisque nostris, finem hodiernam imponere, fidemque suam sanctissimam per nos ministros suos amplificare & exaltare dignatus es. **R E G I .** Istuc si grati esse volumus, vt certe volumus, iustissimum est.

**R E X .** Eamus iam intro. **R E G I .** In me nulla est mora. Vos valete & plaudite.

F I N I S D I A L O G I E X P V G N A -  
tionis regni Granatae.

# LVSITANICA.

DAMIANI à GOES Vrbis Olisponis descriptio.

Derebus & Imperio Lusitanorum ad P. Iouium disceptatiuncula.

L. Andreæ Resendii Antiquitatum Lusitanie, Lib.V.

Iacobi Mencetii Commentarius de municipio Eborense.

L. Andr. Resendii Epistola de Colonia Pacensi.

Eiusdem ad Barri holomaum Kebedium de Eborense Ecclesie Sanctis.

Ambrosii Moralis Epistola ad Andr. Resendii, & ad eandem Resendii responsio de delubri in ponte Alcantara inscriptione.

Io. Antonii Viperani de obtenta Portugalia à Rege Philippo.

Hieronymi Conestagii de Coniunctione Portugalie cum regno Castella.

Duardi Leonis Censura in libellum de regum Portugalie origine.

Eiusdem de vera regum Portugalie Genealogia.

## D A M I A N I A G O E S E Q V I T I S L V S I T A N I.

### Vrbis Olisponis descriptio.

INCL YTO PRINC IPI DOMINO  
HENRICO, Portugallie infanti sacrosanctæ Ecclesie Romanæ  
Tituli sanctorum quatuor coronatorum Cardinali  
meritissimo, DAMIANVS GOES Eques  
Lusitanus S. P. D.



NDICARVM rerum historiam, in lucem ut darem, cum crebris do-  
ctorum hominum epistolis diu urgerer, eam ex exemplaribus collige-  
re, atque disponere pridem cœperam, id quidem mihi effectum iri posse,  
tunc pollicebatur otium meum literarium, quo eo quidem tempore lau-  
te, & citra publicorum negotiorum onera vtebar. Sed cum mecum per-  
penderem, mihi id modo deesse, quod summe in historia scribenda re-  
quiritur, ab incepto destiti. Nam ei qui iustam, & absolutam historiam  
scribere vult, in primis liberum, & vacuum tempus tribuendum est,  
deinde animi quies, & omnium munierum vacatio, postmodum ma-  
gnorum principum fauor, quo industria, & labor studiorum, pramis  
adaugeantur. Quocirca (presertim cum neg, cura neque negotio, carere  
possem) succisiuis tantum dierū horis, id quod continentis temporum decursu destinaram, concedere,  
& tribuere proposui, & curriculis mearum lucubrationum currens, Olisponis urbis descriptionem hoc tan-  
tum tempore componere institui, eamque tuo duntaxat nomine illis inquam ipsis euulgare decreui, qui  
à nobis id flagitare nusquam destiterunt. In qua sane descriptione, quidquid ad ipsius urbis originem,  
& ornamentum inuestigare valuimus faciliori quam potuimus penicillo depinximus. Ceterum opus-  
culum hoc quale qualecunque fuerit, sub tua protectione emittere consulto proposimus, ut quae nostro  
huic labori desunt, nam forte multa deerunt, que nos assequi non potuimus, ea tua animi celitudine,  
& eximia doctrina, sic foueantur proteganturque, ut ab alienorum laborum mordacibus, temereque ca-  
lumniantibus, nullo alio admixculo suffulta, se se tueri, defendereque possint.  
Vale.

# V R B I S   O L I S I P O N I S

## S I T V S ,   E T   F I G V R A .

D A M I A N O   G O E   E Q V I T E   L V -

*sitano Autore.*

16

20

30

40

50



VÆ sunt vrbes nostra hac tempestate, quas iure Oceani dominas, ac tanquam Reginas appellare possimus, quarum duæ & imperio totus Oriens, Occidensque hodie nauigatur. Earum altera est Olisipo, quæ à Tagi faucibus eius Oceani partis imperium sibi vendicat, quæ Aphricam, Asiamque immenso mari circuitu complectitur. Altera vero Hispalis, quæ à Bæti fluvio Occidentem versus, quem hodie dicunt nouum orbem, classibus pâtefecit. Cuius describendæ partes, iis consulo relinquimus, quorum scriptis, de huius noui orbis reperti ratione, multa forte memoriae mandabuntur. Nobis vero, cum de situ, & vrbis Olisiponis statu constitutum sit solummodo scribere, non ab re visum fuerit, si antequam negotium aggrediamur, inde incipiamus, vnde ipsa res de qua scripturi sumus, nobilior effecta sit, nempe de inuento à nostris per æqua in Indiam itinere. Quæ res ut memorabilis, ita etiam in ea paulo nobis vagari licebit, atque etiam antiquorum testimoniosis, studio nostro lectoribus aperi- re. quanta difficultas in hoc negotio, se semper obtulerit iis, qui rem tantis periculis plena- nam, ausi fuerunt quoquis modo tentare. Quocirca ab eo qui summo studio, summaque animi virtute rem tam præclaram nostris temporibus aggredi ausus est, exordium capie- mus. Is enim inuitus ille Alfonsi quinti filius, diuus Ioannes secundus Lusitanorum Rex fuit. Ille quidem qui bello regnum suis vindicauit, paceque sibi regni hereditatem multi- farie turbatam restituit. Igitur cum regis indefatigatum animum Indicarum rerum deside- rium vehementius agitaret, non nauibus solum ab illa parte litoris Æthiopici, quod ad ea usque tempora à nostris exploratum erat, eam Indiæ plagam, quæ ad ortum solis attinet, inuestigare proposuit, sed terrestrib. etiam itineribus negotium ausplicari voluit. Quod quidem per homines Lusitanos singulari linguarum, terumque notitia præditos, in eo li- bro quem de rebus Æthiopicis scripsimus, factum esse demonstravimus. In quo etiam stu- dio, doctrinaque prudentissimi principis Henrici, oceani Atlantici, Æthiopicique insulas, & litora prius, multoque antea inuenta, lustrataque à nostris fuisse, obiter tractamus. Pro- inde dum Ioannes ille adhuc viueret, industria, auspiciisque Bartholomæi Didaci, viri

Lusitani, nauticæque artis peritissimi, frontem ei continentis parti contiguam, quæ recta ad montem Lunæ porrigitur, nostri inuenierunt. Quæ frons ab Oceano emergens, sinu Hesperico, Prassoque promontorio, immenso tractu terrarum, ad australem cœli cardinem, utrinque protensa, gradum ferme quintum, & trigesimum attingit. Quibus terminis Ichtyophagorum videlicet, & Anthropophagitarum, nihil literis Ptolomæo cognitum fuisse constat. Quamquam Plinius, Mela, Solinus, & Martianus, ex Iuba, Ar- temidoro, & Xenophonte Lampsaceno, & Nepote Cornelio, de Hannone Pœnorum Rege, & Eudoxo, aliisque qui hoc mare experientia, seu relatu nauigabile tradunt, scri- bentes, huius itineris notitiam olim fuisse, totumque ab Indis ad Herculeas columnas patefactum, cultaque eius litora esse testentur. Ac insuper testimoniis confirment. C. Cesare Augusti filio in Arabico sinu constituto, Hispaniarum nauium, naufragio ei- cas fragmentorum reliquias apparuisse. In qua quidem sententia Herodotus eximius antiquitatum indagator, Græcos fuisse asserit, qui mare quod extra columnas vocatur Atlanticum, & rubrum, idem esse mare pro certo affirmant. Atque alibi Græci, inquit, qui Pontum incolunt, Oceanum confluere terram, pro comperto habent. Postmodum ex vetustissimis Ægyptiorum annalibus, hæc prodit. Nempe Necum ipsius gentis regem, cum à deprimenda fossa, à Nilo ad Arabicum sinum destitisset, nauibus quosdam Phœnices misisse, quos iussit, Herculis columnis superatis, ad septentrionale usque ma- re penetrare, atque inde in Ægyptum cursum facere. Qui è mari rubro soluentes in austra-

le venerunt mare denique in Ægyptum per fretum Herculeum post biennium res mearunt: & in hunc modum dicunt Græci Africæ litus primo in totum cognitum fuisse. Secundo vero, Xerxis temporibus Africæ promontorium Sata spem superasse scriptis confirmant. Qui admodum nauigationis tædio confectus, ad columnas Herculis, vnde in Atlanticum Oceanum prodierat reuersus, in Ægyptum cursum tenuit, Denique Strabo ex Aristonico testatur, Menelaum per Gades circunductum, iter in Indiam fecisse. De qua quidem re, prolixius non agemus, ne longius, quam res ipsa postulare videtur, digrediamur. Illud quidem verissimum videtur, & ratione credibile, tam vastam, & periculis infinitis obiectam nauigationem, ita tum hominum animos affectisse, ut semel inchoata, vel (si attigit) absoluta, nemo secundo rem tam arduam, vel potius monstrosam, aggredi auderet. Qui sane tam immensæ peregrinationis cursus, nostratum, siue indefagita indole instigante, siue auri sacra fame urgente, tam denique modo frequens habetur, vti non maioris negotii nunc huiuscmodi nauigationem existiment, quam si in Britaniam, aut in Belgicam, ex Lusitania per Oceanum iter facerent. Huic vero repartæ fronti, vt ad inceptum redeamus, ob rem insperatam, Rex idem Bonæ spei caput nomen indidit: reliquum iam inde Oceanum Indicum nauigandi, occasionem faciliorem, sibi oblatam esse sperans. Cæterum naues illæ quibus Bartholomæum Rex præfecerat, multis casibus, aduersisque tempestatibus disiectæ, ipso Bonæ spei promontorio, vt antea demonstrauimus, superato, flumen ingrediuntur, cui Infantis flumen nomen inditum fuit, eo quod inter cæteras naues, vna cui Rex Luponum Infantem virum Lusitanum præfecerat, omnium prima ad fluminis Ripam appulsa sit. Inde vero ulterius progredi minime tutum esse duxerunt, propterea, quod in tanta maris vastitate, itinerisque & temporis intercedidine, gentem nullam reperissent, quæ tum naubus vteretur, veriti ne si longius procederent, non Indos, genus hominum suapte natura cultissimum, ac disertissimum, sed alias nationes, terraque barbaras, ac immanes offenderent, à quibus forte etiam grauioribus incommodis premerentur, quam quæ in iis experti essent, quorum litora, portusque ante tetigissent. Qua re mature pro rerum facultate, & prudenter animaduersa, mutata velificatione, in Lusitaniam reuertuntur. Id vero diuino potius quam humano consilio accidisse crediderim, quod deuicti Oceani gloria, futuro regi integra, fato quodam, intactaque reseruari videretur. Interea quidem re infecta, Ioannes Rex moritur: nouisque rerum momentis occurrentibus, vti tum maxime fieri consuevit, Emanuel Regnum suscepit, statimque biennio postquam regni gubernacula suscepisset, cum omnia domi, forisque, à finitimis regibus tutasatis, ac pacata cerneret: quod à suis maioribus antea summo studio factum esse videbat, in idipsum animum cœpit intendere. Tresigitur parari naues, ac instrui iubet. Quibus Vasum Gammam, genere Lusitanum, equestris ordinis virum præfecit. Qui comparatis rebus omnibus quæ ad tam longam professionem necessariae videbantur, octavo Idus Iulii anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, idoneum Aquilonem noctus Olisipone soluit, celeriterque, concitatiore vento in Indianam lœtis auspiciis, sed immenso labore peruenit. Sed nos rebus iis omnibus cum ipsa India omissis, ad institutum nostrum properemus:

Olisponem igitur quis primus considerit, in tanta seculorum vetustate, pro certo nos affirmare non audemus, quam tamen inter antiquissimas Hispaniæ vrbes, annumerandam esse, vetustissimi quique scriptores testantur. Hanc Varro Olisponem, & Ptolemeus Oliosponem appellant. Strabo vero Vlisseam, & ab Vlisse conditam esse, ex verbis Asclepiadi Myrlianii videtur asserere. Is enim Myrlianii in Turditania ludo literario præfuit, atque de gentibus ipsius regionis librum conscripsit, prodiditque etiam Olisipone in templo Mineruæ, fragmenta quadam suspensa tunc extare videlicet parmas, Apulstra, nauiumque rostra, Vlyssis errores indicantia.

Ex quo sane loco non satis liquere arbitrantur quidam Olisponem ab Vlysse conditam esse. Nobis tamen tanti viri testimonio adhærere placebit potius, quam illorum dicta comprobare, qui id nullo certo arguento cauillare conantur. Præsertim cum Solinus vir apprime doctus ipsius Strabonis sententiam sit sequutus. Nostrar quoque Laurentius Andreas Resendius vir doctorum omnium iudicio & calculo comprobatus, id multis in locis scriptorum suorum, & imitatur & confirmat. Sed quoad nominis rationem attinet, ex quadam ipsius Resendii oratione, & ex multis vetustissimis tabulis in vrbe ipsa repertis, ab illoque collectis, facile liquet, scribi debere.

Olisipo-

Olisiponem, per O& duplex iota, & simplex s. Erat autem Olisipo Romanis temporibus Romanorum ciuum municipium. Plinii grauissimi scriptoris testimonium hoc loco afferre non pigebit. MUNICIPIVM (inquit) CIVIVM ROMANO-RVM OLISIPO, FOELICITAS IULIA COGNOMINATVM.

Vnde autem nominis origo emanarit, temere affirmare non audemus. Id enim fortasse tam multis fabulosum videretur, quam illud Varronis à Iustino iudicatur. in Lusitania ubi est oppidum Olisipo, monte Tagro, equas è vento suscipere. Cuius sententiam, & Plinius, & Solinus approbarunt. Quam tamen diximus, Iustinus his verbis mendosam esse enixe affirmat. IN LVSITANIA (inquit) IVX-TA FLVVIVM TAGVM EQVAS VENTO CONCIPERE MVLTI AVTHORES, PRODIDERVNT, QVAE FABVLÆ EX EQVARVM FOECVN-DITATE, & GREGVM MVLTITVDINE NATÆ SVNT. QVI TANTI IN GALLECIA & LVSITANIA, & TAM PERNICES VISVNTVR, VT NON IMMERITO IPSO VENTO CONCEPTI ESSE VIDEANTVR. Quæ sententia nobis sane non ita displiceret: nisi physici rationibus adniterentur probare naturam ipsam, ex fœmineo tantum sexu, sineque marium congressu, multa gignere, & procreare solitam esse. Quem quidem Varronis locum D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, in sua historia, satis luculenter comprobat. Mons vero Tagrus, cuius Varro meminit, meo quidem iudicio ille idem est, quem nos SINTREVUM vocamus, & à quo Lunæ promontorium in mare prorumpit, millia passuum ab Olisipone plus minus viginti, & quatuor. Quod nostris hodie Rocham appellari placuit, siue ut latine dicam, Rupem. In cuius declivi montis, oppidum, admirabili loci amentate, cœlique clementia hodie conspicitur, ingenti ac munifico Regum Lusitanæ domicilio nobilitatum, quod de nomine montis SINTRAM, dixerat. Mons vero diuersis ferarum generibus, auiumque, mire abundans, pecori item pascendo propter singularem soli bonitatem, adeo est accommodus, vt cilibet facile possit persuaderi, equas sine admissario concipere. Ad latus porro huius montis, quod latus ab Oceano patet, vicus passibus circiter duobus millibus in collculo positus est (COLLARES accolæ vocant) à quo haud ita procul, sub rupe in pelagus procumbente antrum est quod accedente alluitur Oceano, fluctusque introrsus reciprocantes, salo spuma permisto, recipit in se, & idem eructat ingeniti vndarum strepitum, in quo Tritonem concha canere olim visum nostrum vulgus existimat. Quod ad locum quidem attinet, constanter quicquam affirmare non audeam. Propterea quod ab oranibus, id litus proprius legentibus cerni facile, ac conspici possit. Tritonem vero Tiberii Cæsaris temporibus visum in Lusitania, auditumque fuisse, ita scribit Plinius. TIBERIO (inquit) PRINCIPI NVNTIAVIT OLISIPONENSIVM LEGATIO, OB ID MISSA, VISVM AVDITVM QVE IN QVODAM SPECV CONCHA CANENTEM TRITONEM, QVA NOSCITVR FORMA. Nec vero illud silentio prætereundum esse duximus. Nostro hoc tempore plerisque in locis huic litori vicinis quoddam hominum genus reperiri, qui & natura & nomine Marini ab indigenis vocari cœperunt, ob eam præfertim causam, quod hispidum quid in cutis superficie gerentes, notas quasdam squamarum, ac tanquam reliquias antiqui generis, per totum ferme corpus sparfas, præse ferre, atque retinere videantur. Eos enim ab hominibus marinis, vel Tritonibus, originem, genusque traxisse, pro certo semper habitum est, eiusque rei initium inde profluxisse à maioribus accepimus Tritones scilicet ad littus profilire interdum, atque colludere paulatim assueuisse, eosque fructuum dulcedine delinatos, quorum in iis locis maxima est copia, eodem reuersos sibi, ineffabili quodam incolarum astu, eorum aliquot interceptos, ac postea blanditiis ad excutum, mansuetumque genus vitæ traductos esse. Et quidem si fabulosum videbitur, domestica familiaritate, vocales reddi Tritones potuisse, insuperque cum Lusitanis consuetudinem, ut haberent effecisse, fabulosius sane mihi erit, barbarum incultumque Tritonem, in Africa, in palude Tritonide, profiluisse, ac cum Græcis garrientem, ab Iasonem tripodem, quam Delphos asportabat, ut syrtium periculis, suo ductu euaderet, sibi dari poscisse.

Nostris vero temporibus, ut efficacius testimonium in medium afferam, piscator quidam, dum inter scopulos Barbarii promontorii, filo, hamoque iuxta Diuz Virginis facellum, pisces capere contendisset, derepente ex vndis in scopulum, mas Triton exili-

uit, barba prolixa, crinibus oblongis, pectore hispido, facie non admodum deformi, absolutaque hominis forma. Qui cum paululum apricatus esset, & hominem à tergo, ipsius formatam contemplantem, inspexisset, voce non dissimili prolatu, territus confestim in salum se submersit. Hæc pescator de Tritone, siue homine marino cupidis audiendi, compto ordine ac sermone, hodierna die enarrat.

Deinde paucis ab hinc annis, hæc procul à Lunæ promotorio, ut nobis retulit Ferdinandus Aluarus domus Indicæ scriba, vir integræ fidei, q[uo]d iuxta illud litus ruscum habebat, cuius vicinus erat vir probus, minimeque fallax, is enim vicinus persæpe pescandi gratia, se in quosdam litoris scopulos conferebat. Ibi cum negotium die quadam feliciter succederet, (ut Ferdinandus ab eo ore tenus accepit) pisces quos hamo capiebat, à tergo sui in aridum scopuli anfractum, quo tutius asseruarentur, proiiciebat. Quod quidem persæpe inculcans, interdum nudum adolescentem imberbemque per anfractum conspiciebat. Attamen cum in illo loco, circum vicini incolæ frequenter nare consueissent, credebat ex iis aliquem forte esse: Cui, cum intentus pescationi esset, nihil verbi faciebat. Tandem intentius animaduertens, adolescentem pisces manu capere, & ad os deductos edere inspiravit. Qua re commotus occurrit, hominem petiturus. Qui violento cursu, cachinnans, ridensque, in fugam sese proripuit, pelagoque vrinans sese submersit.

Eodem ferme tempore, è regione vrbis, pelago interiecto, non procul ab oppido quod BARRERIVM nostri nominant, iuxta Alfonsi Albuquerqi viri patricii villam, similis formæ hominem marinum exanimem æstus maris in litus eiecit. Præterea in antiquis regni archiis, quibus ego ipse presum, extat adhuc compositionis chirographum vetustissimum, inter regem Alfonsum terrium & Pelagium Petreum, equestris ordinis Diuila-cobi magistrum, transactæ, qua decretum fuit, non magistro ordinis, sed regibus debet vestigal Syrenum, aliarumque belluarum, in ipsius ordinis littoribus captarum. Vnde facile colligitur Syrenes, cum de eisdem lex lata fuerit, frequentes olim in nostris æquoribus fuisse. Sed hæc hactenus de Tritonibus, Nereidibus, Syrenibusque dicta sufficient.

Cæterum, vt ad institutum reuertamur, scire oportet, vt paulo antea diximus, nobis de nominis vrbis Olisponis origine, & causa, nihil certi constare, imo nec quicquam, quo ad ipsius pristinam memoriam spectet, nec item ad res in ea olim gestas, inter Græcos, Latinosq[ue] authores reperire potuisse, cum minime dubium sit, in ea ciuitate in qua hodie, na die tot elogia, epitaphiaque latinis characteribus, lapidibus exculta extant, in eis, multa & præclara facinora transacta priscis temporibus etiam, fuisse, quibus nostrum hoc commentarium ornare, lustrareque valuerimus.

Sed cum illa omnia, vt ratione licet credere temporum iniuria potius quam scriptorum incuria forte periissent, ex nostris tantum Lusitanicis annalibus, cum altius nihil, quod minime fabulosum videatur, repetere audeamus, exordium faciemus. Et post illam miserandam cladem qua ferme vniuersa Hispania à Mauris occupata Christi fidem deseruit, quomodo iterum ipsa Olisipo Christo initiata fuerit, demonstrabimus. Quæ res sic se habuit. Cum olim assiduis incursionibus Mauri Hispaniam impeterent, p[ro]i[ac] Christiani homines vndique opitulandi gratia eo confluebant, Regibus suam operam offrantes. Accidit tunc inter alios D. Raymundum Tolosatum Comitem ad Alfonsum Castellæ Regem electum imperatorem, subsidio venisse: Cui Henricus eius ex sorore nepos, huius expeditionis comes fidissimus fuit. De cuius Henrici ortu, inter authores non satis conuenit. Nam Castellani scriptores eundem Constantinopolitanum esse aiunt. Galli autem ex Lotharingia promanasse asserunt, nostri vero ex Hungaria originis seriem deducunt. Attamen nulla certa ratione omnes, id quod dicunt, demonstrant, qua nos quicquam audacter confirmare possimus.

Cæterum ob ingentia istorum principum merita, Alfonsus Rex, Raymundo Ornatam, Henrico vero Therasiam, filias in matrimonium collocauit. Et quidem Henrico & Therasiae, Portugalliae comitatum in dotem dedit, cuius prouinciaz eo sane tempore, præcipua pars à Mauris occupabatur. Ex Therasia, Henricus Alfonsum suscepit. Is Alfonius post multa, & præclara facinora, pro Christi fide acta, cum quinque potentissimis Regibus Mauris in campis Oriensibus apud castrum viride conflicturus, quos vnico prælio deuicit à suis militibus, in ipsis castris vnico temporis momento, Rex electus, creatus, iuratusque fuit, & quidem reluctans, id contumaciter cunctis afferentibus, non decere strenuos milites, tam arduum, contra præclaros reges prælium inire, nisi sub regum vexillo. Affirmant nostri scriptores, ipsum Alfonsum, antequam prælium inire, Christum in cruce appensum in æthere conspexisse, ei victoriam pollicentem, atque ducem

ducem fide flagrantem ita respondisse. Domine cum certo sciam, te filium Dei esse, mundique verum seruatorem, non est quod temihi demonstres. Vade ergo inquit, hostibus tuæ religionis, te ea lege ostende, vt nos tantis malis careamus, ipsique credant, cognoscant tua, tui solius nece, mundum viuere, & saluum esse.

Ob quod miraculum, scuti basi, quod albi duntaxat coloris, tunc temporis Alfonsus ipse gestabat, quinque cæruleos clypeos, pro deuictis quinque regibus, clypeisque cunctis, in Christi plagarum memoriam, quinque alba puncta, quincunciali ordine Rex ipse subnexuit. Quibus signis ab eo usque tempore Lusitanæ Reges summa cum reverentia vtuntur, eaque continuo ob mysteriorum gloriam omni debito honore deosculantur amplectunturque. In quibus illud etiam mysterii, scitu dignum, ineft, quod si quinque præfatis clypeis, numerum omnium punctorum adiungas, rationem triginta deñiorum reperies. Quo quidem pretio, orbis redemptor Christus, à Iuda Iudeis venundatus fuit. Igitur assecuti sunt Lusitanæ Reges, ex tam insigni victoria, ea signorum tam glorioſa mysteria. Quæ signa ut cœlitus à Christo cōcessa fuere, sic ipsis ducibus, nobisque sub eis militantibus, ipsius Christi fidem in immensum per vniuersum orbem, longius, latiusque quam vñquam fuit, nostraque industria, & labore propagata, euulgateque hodierna die est.

Porro, vt ad scopum reuertamur, cum Olisipo ab hoc rege Alfonso obſideretur, & bello diu præliando, conſigendoque oppugnaretur, Christi fidei anno ipsius Christi nativitatis millesimo centesimo quadragesimo septimo, restituta fuit. Cui bello etiam non nulli peregrini milites ex variis Europæ partibus religionis cauſa interfuerunt quorum non pauci dimicando desiderati sunt.

Nec defuere qui ex iis miraculorum argumentis, loco sanctorum habiti sunt, inter quos quidam Henricus fuit, natione Germanus, Bonnæ natus, oppidum est ad ripam Rheni, non procul à Colonia Agrippina constitutum, cuius Henrici meritis Deus multa & præclara miracula dignatus est facere, vt nostri annales testantur. Hoc Regis Alfonso regnante, non multis diebus post expugnatam Olisiponem, corpus D. Vincen-  
tii Leuitæ & Martyris, in ipsam urbem, ex sacro promontorio, vbi diu latuit relatum est, & in fornice summi templi, summa cum reverentia hodierna die affruatur. Quam rem dif-  
fuse Resendius noster graui carmine prosequutus est.

E regione cuius monumenti, Alfonsi quarti Regis, sepulchrum extat, eius inquam anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo. Alfonso Castellæ Regis suo gene-  
ro luculentum contra Alboacem Maurorum potentissimum Regem subsidium tulit,  
cruentissimoque ad flumen salsum prælio, aduersum eundem Alboacem præfuit. & glo-  
rioſe viator, cognomen Ad salsum viatoris vulgo obtinuit. Ob quam causam ipsius  
Regis mentionem non displacebat nobis hoc in loco facere.

Ad radicem vero huius summi templi, paulo inferius Occidentem versus, inter-  
posta platea, facellum diui Antonii, quem Paduanum vocant, admirabilis structura, &  
mira elegantia elaboratum, seſe nobis offert, olim ipsius diui Antonii parentum habita-  
culum, in quo quidem ipse natus, educatusque fuit, ex cuius natalibus non mediocriter,  
ſeſe vrbis Olisipo extollit, & merito quidem est cum inter cœlites tam digne omnium  
Christianorum consensu, ſic annumeratus relatusque fit, vt Deo totius Christiani po-  
puli ſententiam miraculorum fide confirmante, ipsius beatissimi Antonii nomen per  
vniuersum orbem cognoscatur, & reuerenter vbiue gentium ab omnibus eius me-  
moria colatur, celebreturque. Super eius facelli epiftylum domus ciuica, seu urbana  
curia constituta eſt. De cuius ordine, serieque regiminis, multa & præclara dicere po-  
tuerimus, ſi id alienum à nostro instituto non videretur. Quamobrem ad ea quæ pollici-  
tisimus redeamus.

Igitur antiquæ vrbis Olisiponis ſitus, collem excelsum, ad Tagi Ripam deductum  
usque, antiquitus ſolum occupabat, nunc vero plures montes, ac valles, magnitudi-  
ne amplectitur. Cuius potissima, celeberrimaque pars Orienti opposita eſt: qua potissi-  
mum parte, ſucepto iam Tago, pelagus in latitudinem millia passuum sex pater. Ex  
aduerto latere duo ſinus efficiuntur, quorum unus, Aquilonem versus introrsum re-  
ductus ad frequentem hac tempeſtate vicum G A L L E C Y M nomine, alter vero ad  
meridiem paulum deflexus, ad vicum C O N A M quotidianas habent nauigationes

Ab eodem vero latere paulo inferius, oppidum A L M A D A ſitum eſt, in extre-  
mo frontis, quam Cornensis ſinus obliquo circuitu emittit. Quo quidem loco pe-  
lagus à licentiosa ſinus vastitate paulo coarctatur. Illincque ad urbem traiectus eſt,

passibus paulo minus, quam millibus quatuor. Ripa vero lateris eius fere præcipitio in mare descendens, ac dorso in arcus similitudinem ad meridiem sese inclinans, ad Barbarium promontorium extenditur, Mediis his anfractibus, sinuosa, deuia, quasi syrtes inter sunt: in quibus auffum arenis inuolutum nostri conquirunt, eo præcipue loco quem ADDICIAM nuncupant: quod item plerisque locis in ipsa Tagi ripa fieri consuevit. Nec à veterum sententia discrepat, qui Tagum auro, gemmisque affluere scripserunt. Ab hoc rursus Barbario promontorio, ad citeriorem litoris partem, quæ occasui subiecta est, in mare progreditur lunæ promontorium, à quo ingenti flexu, veterum Turdulorum fines exoriuntur. Quod litus in hanc usque etatem, à nostris, vetus appellari consuevit. Interius non magno deinde interuallo, in extimo Olisponensis sinus ostio, fanum Virgini matri, quam Ductricem appellant, dicatum, in scopulis inspicitur, ubi nocturnis facibus accensis, nauigantibus iter noctu præmonstratur, ne locorum ignari, ad vada, scopolosque vicinos, naues allidere cogantur. Inferiora legenti Aquilonem versus, oppidum CASCAL E situm est, quo naues, onerariae in anchoris consistentes, accedente mari æstu, auram operiuntur, portu vadoso alioqui, & anfractuoso. Modico inde interuallo, aduerso etiam flumine, sinus in cubiti formam efficitur. in cuius fronte facellum est diui Iuliani, supra quod aliud diuæ Catherinæ sacrum. Tum eodem latere obliqua ripa, proprius ad urbem accedenti, Bethleem Oppidulum, & ibi templum ingens diuæ Virginis dicatum, una cum cœnobio monachorum, qui diui Hieronymi vita institutum professi sunt, sese offert, incredibili sumptu, ac magnificientia, constructum? diui Emanuelis regis monumentum, quod dum viueret, sibi ipse designauit erexitque Magnam tamen ipsi operi accessionem Ioannes tertius Emanuelis filius, qui nunc feliciter regnat, & fecit, & facere non cessat.

De qua re extat ibi in arcu celebre Resendii nostri bessalibus literis tetraстichon, quod quia à multis externis hominibus eo accendentibus describitur, ponere non grauabor:

VASTA MOLE SACRVM DIVINÆ  
IN LITORE MATRI.  
REX POSVIT REGVM MAXIMVS  
EMANUEL.  
AVXIT OPVS HÆRES REGNI ET  
PIETATIS, VTERQUE.  
STRVCTVRA CERTANT, RELIGIO-  
NE PARES.

30

Turris vero ex aduerso, quatuor tabulatorum extat, quadrato extructa faxo, quam iatis in mare molibus, ipse etiam Emanuel Rex inædificari curauit. ut salo vndique circundata, ab omni subita hostium vi, & impressione, tuta redderetur: nullæque naues, iis inuitis, qui turris præsidio impositi sunt, propter angustias, ad urbem proprius auderent accedere. Hinc autem ad primum urbis cornu, trium millium passuum interest spatium: quo excusu crebra villarum suburbanarum ædificia, mira elegantia & amoenitate constructa, licet cernere. Rura item, ac pascua, præter maximam omnis generis fructuum copiam, summam etiam pulchritudinem, ac iucunditatem ipso aspectu præse ferentia.

Quod si singula quæ in urbis ambitu insunt, persequi vellem, res profecto me longius quam oportet distraheret. Qua propter ab instituto non longe discedamus. Urbis igitur Olisponis initium, ab hac parte, qua meridiem respicit, vetus regia amplissima, magnificoque opere pulcherrima, efficit, quam Ad Sanctos nostri nuncupauit.

Nomen inditum loco, quod longo temporis spatio, corpora sanctorum martyrum Verissimi, Maximæ, ac Iuliæ ibi recondita fuerint, donec sub Ioanne rege eius nominis secundo translata alio fuere. Qui quidem diui, dum Christum dei filium orbisque seruatorem constanter profiterentur, sub Romano præside, Olisipone passi sunt. Inde obliquo aggere, faxoque constructo ad vestarium templum, cui diuæ Mariæ Spei nomen est, per clivum sensim depresso itur: unde rursus eadem via in aduersum montem concendiuntur, Cuius in tergo, facellum diuino Rocho nuncupatum conspicitur.

Eodem deinceps tractu, in vallem amoenissimam, moenibus urbis contiguam, hortisque vndique confitam, est descensus: quæ à facello Eremitarum, Diu

Antonio

Antonio consecrato, nomen olim sumpsit. Nunc vero iis exclusis, ab adnuntiatione Angelica deiparæ virginis facta, nomen habet, & à vestalibus Dominicanis instituti inhabitatur. Mox pari acclivitate collis nascitur, densissimo oliueto obsitus, ut non facile introrsus inspici possit. A superiori vero parte apertus, & facello diuæ Annæ, recens dicato, ornatus, quod summa cum religione, & reuerentia, magna item populi frequentia, ab omnibus hodie visitur, & colitur. Ab hoc subinde per agrum compascuum, leprosaria, foroque boario interiectis, in aliam vallem non minus fertilem, iucundamque deuenitur. Quæ Maurusia nuncupatur, ex eo quod post recuperatam de Saracenis vrbē, eo loci permisit sunt Mauri habitare, Cuius sinistram partem, quæ ad septentrionem ver-  
 git, vbi campi diuæ Barbaræ incipiunt, angelorum facellum diuidit. Supra vallem hanc orientem versus, mons excelsus imminet recto, difficile ascensu, à quo fanum diuæ Mariæ Montanæ, quod in summo montis culmine situm est, nomen accepit. Ab hoc præterea modico flexu, vtcunque directo itinere, ad vrbem redit, statimque obuium fit templum vetustissimum Augustiniensium monachorum, diuæ Virgini gratiarum sacrum, introrsus eidem vrbis muro adhærens. Ex inde porro præteritis ditissimo cœnobio Vincentio leuitæ & martyri dicato, canonicorum diu Auguſtini. atque Gymnasio non ita pridem celebri, antequam Rex Ioannes Tertius illud Conimbricam transtulisset, ad tipam Tagi decurrit, quæ aquilonare vrbis cornu ab ea parte efficit. Qua parte amplissimum, nobilissimumque vestarium diuæ Claræ cœnobium, ad fluminis crepidinem ferme attingit: indeque auerso itinere, facelioque diuæ virginis Paradisiacæ interiecto, ad primam vrbis portam, quæ Crucis dicitur, iter est. Ab illo autem Claræ templo ad regiam veterem quam ad Sanctos antea nominari diximus, vbi meridionale vrbis cornu possumus, rectus margo, secundo mari ab oriente extiго inciens, in meridiemque excursens, millia passuum tria ferme efficit. Eo igitur modo, latus hoc vrbis mari alluitur, reliquæ tres partes aditum habent à terra. Itaque collibus quinque, vallibus totidem fera-  
 cissimis, & iucundissimis, vrbis tanto spatio complectitur, ita ut vniuersus eius ambitus septem millibus passuum designari possit. Certam autem eius formam descriptio-  
 nemque, facile deliniati posse non arbitror, cum in solo montoso, asperoque sita sit. Nihilominus si quis ex oppido Almada, quod contra in ulteriore sinu parte positum  
 esse docuimus, rectis immotisque oculis, vrbis situm figuramque velit contemplari,  
 ab ea præsertim parte, qua in vrbem traiicitur, illam certe veram vesicæ piscis effigiem referre comperiet. Quod si solum omnibus ex partibus planum esset, à latere terrestri, formam arcus demonstraret: Interioris vero vrbis amplitudo & magnifica-  
 centia, tanta est, vt cum cæteris omnibus Europæ vrbibus, & hominum multitudine,  
 & ædificiorum pulchritudine, & varietate, merito contendere possit. Domorum si-  
 quidem amplius quam viginti millia inesse constat. Earumque ingens multitudo, tam  
 principum virorum, nobiliumque, quam etiam priuatorum hominum, eleganter, & sum-  
 ptuopere incredibili constructa est, adeo, vt etiam paries intrinsecus, fornicesque,  
 ligno Sarmatico vndique vestiti, vermiculato opere, auro, variisque coloribus adhibi-  
 tis exornentur. In litore, fontes quam plurimi ex diuersis vrbis partib per ductus sub-  
 terraneos oriuntur, è quibus populus aquationem facit. Eorum vnum Regium nomi-  
 nant, marmoreis columnis, ac fornicibus eximie constructum, sexque fistulis tanta aquæ  
 copia profluentem, vt unus, vniuersæ hominum multitudini potum pene suppeditet.  
 Hic autem saporis, & splendoris, & lenitatis præstantia, omnium fontium, quos usquam  
 me videre meminerim, aquam aut æquat, aut superat, Tepidam etenim cum effundat,  
 paruoque ipsa post temporis momento resederit, tum purissima, frigidissimaque suauissime babitur. Duo præterea fontes haud ita procul, emergunt maximis aquæ scatæ-  
 bris, in mare breui ad modum fluxu protumptentes. Quod si longiori distarent à mari  
 interuallo, multæ frumentariæ molæ tanta aquarium vi atque impetu, quovis anni tem-  
 pore facile agerentur. Cæterum lotricibus, alutariis, fulonicisque opificibus plerum-  
 que seruiunt. Non multo deinde interiecto spatio portam crucis versus, fons aliis, aut  
 vt verius dicam stagnum emergit: qui Equorum dicitur, propterea quod per æneas  
 statuarum equestrium labra, aquam ore affatim vomentum, instar fluuioli cursum  
 tenet. Sunt denique diuersarum aquarum salientes fontes, puteique non pau-  
 ci in omni parte vrbis, magnam ciuibus commoditatem afferentes. Quos omnes in præsenti sigillatim enumerare, non huius instituti multum interesse vide-  
 tur. Ad reliqua igitur vrbis ornamenta breuiter, ac summatim delibanda ve-  
 niamus. Atque vt antiquam in summa arce regiam, quæ in editiore vrbis par-

te posita est (opus ipsam antiquitatem vere repræsentans) omittamus. Olisipo septem in primis ingentibus ædificiis singulari Regum nostrorum consilio, sumptuque incredibili magnificentissime extructis, hoc tempore illustratur. Horum primum, ut à religione initium faciamus, Misericordia templum est, quadrato vndique lapide eleganter extructum non infinito prædiorum censu, ac prouentibus annuis vberimis, quem admodum plæreque omnes nostræ ætatis basilicæ, sed sola optimatum, ac piorum hominum benignitate ita sustentatum, vt prope fidem superet, quantum in annos singulos ex collatitia stipe, in pauperes impendant, Huius qui curam gerunt, sodales, siue ut expressius dicam, fratres Misericordia nuncupantur, quibus, propter & generis & nominis claritatem, & summam etiam pietatis probitatisque existimationem, negotium defertur. Siquidem illi omnes communi consilio parique animorum voluntate, illud Misericordia ærarium administrant: quod ex fortuitis tantum modo hominum piorum largitionibus, eleemosynisque conflatum est. Ex quo summa sodalitii fide & integritate, nullo habito personarum delectu egentium omnium inopiz consulitur, ac prouidetur, præsertim puellarum pupillarum, quibus inde, iuxta cuiusque qualitatem, dotes in matrimonium conferuntur. Tum etiam eorum, qui graui aliquo incommodo, aut calamitate pressi, vitam in mœrore, rerumque angustia trahere coguntur. Quo fit, ut multoru tam incolarum, quam exterorum mentes, ad largiendum alliciat, perpetuus ille ordo incorruptaque ratio ærarii quotannis in pauperes exhauriendi. Nihil enim in eo pecunia vltra annum tempus asseruari fas est, nec item prouentus habent, nec ex instituto legibusque sodalitii habere licet. Quod sane eo magis admiratione dignum videtur, quod ex ærario amplius viginti quatuor, aureorum ducatorum millibus in singulos annos conseter egentibus erogari. Quin nonnullis annis numerum quadraginta millium æquasse vel superasse, compertum est. Secundo loco sequitur alterum Misericordia, ac humanitatis exemplum, Valetudinarium videlicet commune pauperum, infirmorumque hominum, nomine Omnium sanctorum, non magnificentia ædificiorum, non sumptuum magnitudine, non denique benignitate erga pauperes, variis corporis morbis conflictatos, & expositos infantes quos nutriendos alendosque cutat, priori illi cedens. Id quatuor diuiditur claustris, hortisque amoenissimis, porticibusque quatuor & triginta, quibus circumcirca continenter adharent ædes magnificæ, tricliniis, lectis culcitrisque mundissimis decenter ornatae. Ibi pauperes ægrotantes benigne, liberaliterque excipiuntur: nec nisi recuperata in integrum valetudine, inde dimittuntur, dato insuper quibusdam viatico, quo se non paucos dies, dum firmiores, valentioresque effecti fuerint, sine ullo labore ac molestia subleuare possint. His porro quæstorum, curatorum, medicorum, pharmacopolarum, cæterorumque ministrorum domus recte distinctis ordinibus coniunctæ sunt: vt infirmis, si quis casus necessitasue acciderit, præsto semper adsint, diesque noctesque pro se quisque sedulo diligenterque inseruant: adeo ut inter reliqua regia xenodochia quibus amplissimis celeberrimisque Hispania passim præter cæteras orbis Christiani prouincias referta est, nostrum hoc facile principatum sibi vendicet. Pro huius vero foribus campus patet apertus, planus vndique, quadrato ædium pulcherrimarum ordine circumdatu, à quo diui Antonij & Maurusia valles, quarum supra mentionem fecimus, in litera figuram se contingunt ac diuersis postea plateis in corii bubuli similitudinem detracta cauda, explicantur, mare versus recurrentes. Ad dextrum deinde eiusdem xenodochii latus, medium inter aquilonem & occidentem, diui Dominici templum situm est, ac collegium celeberrimum, cuius ex aduersa fronte campo interiecto occidentem versus, tertium extat monimentum, à Diuo Petro, Ioannis regis huius nominis primi filio sumptu publico constructum, domus reuera amplissima mirificeque opere admodum conspicua. Quam eo tantum consilio inibi, dum nomine Alfonsi quinti, sui ex fratre nepotis, regni regimen sustinuit, extrui imperavit, vii exterarum gentium regumque legatis, eo loci hospitium præberetur: publicisque sumptibus ibidem liberaliter magnificeque exciperentur. Inde si recto itinere ad litus ire perrexeris, relictis ad dexteram in loco eminentiore cœnobitis Carmelitarum, Franciscanorum, ac ordinis Trinitatis, magnifica, sumptuosaque structura nobilissimis, regiam nouam plateam, anaglptariis, annulariis, cœlatoribus, vasculatiis, fabris argentariis, & ætariis aurariis, item argentariisque refertissimam, præteriens, in alias eodem pariter nomine nouam mercatorum, continuo flectens ad lauam, deuenies, cæterarum omnium longe latissimam, ædificisque pulcherrimis, vtrinque exornatam, Illuc omnibus fe-

bus sere ex partibus orbis, & gentibus quotidie mercatores certatim conueniunt, maximo  
 hominum concursu atque frequentia, propter commerciorum portusque opportunitatem. Eademque via contra septentrionem progredienti, ad laeuanum portorum vetus obii-  
 citur: ubi pro mercibus importatis publica regi vestigia nuper pendebantur. In regione  
 huius portoriis forum quod veteris pali vocatur apparet, in quo semper non pauci homi-  
 nes mensis assidentes reperies, quos notarios vel librarios vocare possimus, nullis tamen  
 cuitatis ministeriis obligatos. Hi omnes ex hoc vitæ genere sibi almentum suppeditant,  
 quod omnium accedentium, mentesque suas explicantium, sensum assequantur,  
 ordineque in eodem ipso loco subito schedis scribant petentibusque dato proratione ma-  
 teriarum pretio, tradant, in tantum, ut literas, epistolasque amatorias, elegia, orationes, epi-  
 taphia, carmina, laudes, parentalia, petitiones, syngrapha & cuiuscunque genetis alia quæ  
 ab eis postulaueris, ad ea habeant dispositum scribendi stylum, quod nulli in totius Eu-  
 rope urbibus fieri vidi. Vnde Olisiponis magnitudinem, & hominum frequentiam faci-  
 lè quis iudicabit. Dehinc recto itinere ad templum Misericordiæ, de quo iam diximus, iter  
 est, contraque eius vestibulum ex orientali latere, quantum apparet ædificium, regis Io-  
 annis hoc nomine tertii, perpetua memoria dignissimum. Duplex nempe magnificatum  
 ædium structura, totidem porticibus, vtrinque triginta duobus arcibus, octogintaque  
 cellis exornata, angusta, æqualique areola interiecta: quam domum frumentariam  
 reipublicæ, ac quasi Lusitanæ nutricem merito nominare possis. Ea siquidem mente  
 horreum ibi publicum à rege optimo ac prudentissimo constitutum est: ut sublato fru-  
 menti leguminumque omnium portorio quod non sine fisci magno detimento, ipse  
 omnium regum Lusitanæ primus plebi elargitus est, speque ingentis quæstus merca-  
 toribus proposita, frumentum vndique ab eis conuehitur. Eo pacto breui plebs anno-  
 na caritate subleuatur. Quod sane magno reipublicæ commodo factum esse nuper ex-  
 peri sumus. Post huius tergum, nouum portorium inhæret, ipsam maris crepidinem at-  
 tingens, immanis quædam lapidum moles, tignis trabalibus confertim immisssis, ac  
 fistulationibus in mare adactis, suffulta, regisque eiusdem iussu sumptuque constru-  
 ta, cui merito ob ædium magnificentiam, & operis pulchritudinem, quintum in hoc  
 ordine locum tribuendum esse duximus. Eodem tractu secundo mari, campus latus  
 admodum inest, à noua portoriis, horreique structura, tum à septentrionali, tum ab  
 occiduo latere, pulcherrimarum ædium serie circumseptus, tum maxime à meridionali,  
 porticu iucundissima aspectu, ad litus usque ornatu summo, deductus. Nam aliud la-  
 tus quod orientem hibernum respicit, mare includit. In eo forum inest piscarium,  
 vnaque forumque cupediniis constitutum, quo cetarii, sattores, cupedinarii, lanii, pan-  
 nifices, dulcarii, gregati quotidie concurrunt, omnia quæ ad urbem vescendi cau-  
 sa afferuntur, vendentes. Præterea, propolatum, institorum, cauponum, stabulariorum,  
 linteonumque tabernæ ibidem instructissimæ visuntur. In hoc vero piscario foro,  
 certa quantitas corbium deposita est, magistratum edicto, quibus cimbis piscatoriis  
 appulis, pisces à mediastinis in forum ad venditices aduehuntur. Hi quidem cot-  
 bes singulis annis à magistratu, piscatoribus, plus minus, duabus millibus ducatorum  
 locantur. De qua sane re, an causa adacti vestigialis, ciuitati congratuler, an tam  
 latentem tyrannidis speciem reprobem, dubius & perplexus sum. Nec huic loco talia  
 conferui, nisi vt urbis opulentiam externis hominibus patefacerem. In huius vero  
 campi occiduo sinu, eodem piscario foro à tergo relicto, mercatoque panificum, holito-  
 rum, fructuum vendorum, aucupumque interiecto, nec non macello, domus quam  
 nostri Septensem nominant, sita est, in qua regii præfecti negotia ad bellum Afri-  
 canum spectantia expediunt. Non procul præterea ab hac domo, contiguo ædium ordi-  
 ne, sextum monumentum, opere admirabili factum extat: præda spoliisque multarum  
 gentium regumque refertissimum, quod ab Indicis negotiis, quæ ibi pertractantur, do-  
 cum Indicam vulgus nostrum appellat. Attamen meo quidem iudicio, aromatum,  
 margaritarum, carbuncolorum, smaragdorum, aliarumque eius generis gemmarum, quæ  
 quotannis ad nos ex India deportantur, emporium copiosissimum, tum auri quoque &  
 argenti facti infectique, horreum amplissimum verius appellare poteris, quod cellas ibi  
 quam plurimas miro artificio atque ordine distributas, maxima omnium harum rerum  
 copia affuentes, ab omnibus conspici posse palam est, vt me hercule, fidem res su-  
 peratura sit, nisi id omnium oculis obiici, manibusque in horas pene contrectari vi-  
 deremus. Proinde ex regia, quam ibi desuper Dominus Emanuel amplissimam, &  
 sumptuosissimam sibi fabricatus erat, porticus latissima velut musculus, vt demon-

strauimus (à qua campus de quo paulo ante mentionē fecimus à meridionali latere sepitur) in mare prorumpit, in cuius fronte ad Orientem versus, turris vndique quadrato saxe mire exulta, litori imminet. Ad hoc ibidem in ipso litore aliud ædificium opere mirabili à fundamentis modo facere occepit potentissimus Ioannes. III. Rex dominusque noster, quod cum Deo diuisque pitiis ad exitum perduxerit, octauum locum ciuitatis ornamenti obtinebit, ac reliquis omnibus palmā facile præripiet. Postremò ei regiæ, quam diximus Emanuelem ædificasse, è regione huius nouæ instructuræ, occidente m versus, platea interposita, contiguum est septimum, ultimumque publicum monumentum, cellis quam plurimis, ac tricliniis quaquauerum artificiose fabrefactis instructum, vt ob interiorum ædium multiplices recessus aditusq; diuersos, Labyrinthum esse vere existimes.<sup>10</sup> Ibi Reges nostri armamentariū ingenti armorū omnis generis copia refertū constituerū, machinarum item & tormentorum, tum rerum omnium quæ ad bellum terra marique gerendum pertinent apparatu, adeo instructum, vt cæteris omnibus, quæ Europa Asiaque hodie instructissima copiosissimaque habere fertur, quorum optimam partem vidimus, & multitudine machinarum, & infinito armorum telorumque numero facile præstet. Id vero hoc argumento me cuius facilius probaturum puto, quod Rex in ordinariis tantum naualibus, expeditionibus, naues plures ducentis omnium generum perpetuo instruētu optimeque armatas in Asia, Africa Europeaque habere cogitur. Tribus autem harum ædium cellis, quadraginta millia peditum armorum corpora, ac tria millia cataphractorum integra quasi ex deposito diligentissime, nitidissimeque custodiuntur, præter ea<sup>20</sup> quæ ad quotidianos & extraordinarios motus depromuntur. Bombardici quoque generis, Mortarios, Scorpiones, Basiliscos, Leones, Colubrinos, Camelos, Perrarios, Dispersores, Ruptoresque inusitatæ magnitudinis, & ponderis. tum reliquorum etiam vulgarium missilium, quos Falcones, Bercios, Sclopposque vulgus appellat: Pulueris item, & globorum, tam ex saxe quam ex ferro tantam vim & copiam asseruari compertum est, vt si singulas omnium diuersasque formas, numerum, pondusque, per partes explicare conner, verear ne falsa iis, pro veris huic operi videar inferuisse, quibus hæc legendo duntaxat, vel audiendo, percipere sufficiet. Ad reliqua igitur pergamus. Vrbs ex ea parte qua mari adluitur, vt paulo ante demonstrauimus, utpote nobilissima eius parte, portis duabus, & viginti distinguitur: pars vero quæ continentem respicit, sedecim, quibus o-<sup>30</sup> mnibus, propter infinitam hominum multitudinem, eiusque ambitum latissimum, maxime indigere videtur. Turribus autem per murorum gyrum septuaginta septem munitur. Templa vero, quæ à Græcis paroeciae appellantur, in quibus sacramenta fidelibus omnibus subministrantur, quinque & viginti numerantur, præter ea, quæ plurima monachis, Anachoritis, vestalibusque virginibus sunt attributa. Huic loco non nihil in laudem ecclesiasticæ musicæ adiiciam, idque verissimum compertissimumque inter omnes ciues habetur. Nempe quod in præcipiis anni festis diebus, ex ipsa vrbe Olisipone, ultra triginta absolutos cantorum choros, ad sacra modulato cantu, in pagis villisque circum vicinis canenda, vna die cuncti exeant: omnibus verbis templis, in quibus musica modulata canitur, ex eo nihil detrimenti, ad suas celebrandas festiuitates capientibus. Societates vero, quas confraternitates vocant c x x i. sunt, in quarum usum ingens à sodalibus quotannis conflatur pecunia, quæ in pauperes, & alios usus necessarios summo ordine elargitur. Quod at ad loci, situsque salubritatem, & aeris temperamentum attinet, tanta certe soli, cœlique clementia, & amoenitas est, vt nullo fere inquam anni tempore, nec ætas, nec hyems immoderata sentiatur, quo factū est, vt multi mortales ex diuersis nationib. terrisq; remotissimis, cœli puritate pellecti, illuc cōmigrarint: derelictoq; soli natali & patriæ cura posthabita, perpetuā ibi sedē, vitaq; domiciliū posuerint. Vrbis vero territorium, suburbanis, rusticisque villis ædificiisque magnificis, quocumque oculos vertentis, propter agri fecunditatem vndique refertum videoas, tanta etiam hominum frequentia, vt secundis iam pridem rebus, perpetuaque pace cum finitimis parta, complures iam ruri potius, quam in vrbe commorandi desiderium teneat. Agros enim paſſim, non vicos pagisque solum, sed templis etiam, clauſtrisque innumeris & ornatisimis, frequentari, cum tanta animi voluptate videmus, vt villæ, tam rusticæ, quam suburbanæ, numerum sexcentarum excedant. Pagos vero qui ab vrbis magistratibus ius petere coguntur, ducentos quadraginta numerant, inter quos sex & triginta, priuatis propriisque iudicis ac prætoribus vtuntur, suisque oppidanis iurisdicendi potestate habent, incolarumque contiouerrias per se omnes dijudicant, & finiunt, nisi cum de causis capitalibus, grauioribusque agitur. Tunc enim ad summum vrbis magistratum prouocatur, eisque

iusque sententiam requirere compelluntur. Denique ut ea quæ insigne aliquod ornementum vrbi afferre possunt, breui velut epilogi complectamur, ad Tagi ripam quinquagesimo circiter ab vrbe lapide, flumine aduerso, oppidum Scalabis situm est, peruetus atque inter pleraque alia Lusitanæ oppida per celebre, quod Plinius quintam Lusitanæ coloniam fuisse, atque præsidium Iulium olim vocatum testatur, nostri hodie S A N C T A R O N A M V O C A N T. De qua re plura apud Resendum nostrum antiquitatis amatores inuenient. Inde quoniam in montis excelsi admodum iugo positum est, in campum apertum & planum, longe lateque despicit, qui campus Tago medius diuiditur, maxima terræ fertilitate, quæ cæteris omnibus, vsque eo præstat, vt modicæ arationes, quotannis pro vallis angustia, incredibiles tritici aceruos afferant. Ad tantam autem soli libertatem id laudis non pudebit connectere, quod multis dictu vix credibile videbitur, sexagesimo nempe post die, quam sementis fieri cœpta est, segetes momento feret temporis adulteræ, ac præmatuæ secantur, teruntur, & si libet, moluntur. Verum ut ad propositum reuertar, Tagus qua Scalabim adluit, vsque ad vrbum latissimo alueo defertur, atque altissimo. Nec eo contentus, interdum multos sinus vltro citroque, & insulas efficit. Eo itidem inter uallo, cypida, pagi, villæque aspectu, situque gratissimæ ac amoenissimæ conspiuntur. Medio fere cursu cis Tagum, occidentem versus, oppidum Alanquer situm est, quod, ut sentit Resendus, prisca secula Gerabrigam appellabant. Locus natalis nostri, cuius nouam interpretationem si proprius inuestigare libuerit, Alanorum ecclesiam lingua Saxonica sonare compries: nec à veritatis via multum aberrabis. Alanos siquidem cum vniuersam Europam cædibus, incendiisque vastando peragrassent, iis locis conisdiisse, eaque tantis per incoluisse ex multorū annalium monumentis compertū est, dum Gothis superuenientibus ex prouincia prorsus discedere, aliasque terras quæ rere coacti fuerint. Quæ gens otnnis lingua, moribus, vicinitateque, Saxonibus ab origine fere semper coniuncta fuit, & ad hunc usq; diem mutuo quodam vinculo propinquitatis sese refouent. Ad huius vero oppidi radices (est enim eius præcipua pars in summo montis præalti culmine sita) fluuius è multis fontiū riuis subterraneis oritur per amœnum, pisciumque multo feracissimus, qui arboribus vtrinque confitus, sole meridiano, magnisque caloribus, umbram efficit, quo homines, ut plurimum secedunt, gratissimam. Mox magno impetu inter confragosa montis, in planiciem aperram delatus, sexque à capite fontium passuum millibus, in Tagum diffunditur, qua parte Tagus crebras insulas emittit, quæ omnes frumento, paucisque pinguissimis abundant. Attamen earum nulla hoc tempore castellis, pagisve, aut vitibus colitur, vt Strabo scriptum reliquit. Quæ res Tagi ipsius alluusionibus vetustateque temporis forte deficienes, hoc gloriæ corollario cohonestantur, quod hodierna die, Tagus ipse per vniuersa Oceani litora, in Aphrica, Asiaque, leges & instituta det, quibus ipsarum prouinciarum reges, principesque, sponte vel coacti parent, tributaque Lusitanis soluunt, Christique fidem indies magis magisq; non pauci colunt. Quod non in Indorum ditionibus modò, sed in Chinarum etiam terminis, ac Iaponum finibus, gente antehac Europæ incognita, summa cum reuerentia fit. De innumeris verò exoticis rebus quæ ex nostris vniuersæ Indiæ, Persiæ, Arabiæ, Æthiopiæ, Bresiliæ, Aphricæque ditionibus, in hanc vrbum toto anni circulo aduehuntur, deportanturque, cùm de omnibus iis satis luculenter, in eo opusculo, quod de fertilitate & opulentia Hispaniæ emisimus, tractemus, nullam consulto hic facere mentionem sigillatim voluimus. Si quis forte id cognoscere aude cupierit, ipsum librum conquirat, quæ situmque legat. Cæterum si lectori noster hic labor displicerit, sciat nos non ita hoc opus cudiisse, vt itinera aliis scriptoribus interclusa à nobis esse opinemur. Nam si forte aliquis de origine, & vrbis situ compertiiora in medium attulerit, rem profecto gratam cunctis, nobisque in primis fecerit.



DE REBUS, ET IMPERIO  
LUSITANORVM AD PAVLVM IO.  
VIVM DAMIANI à GOES DISCEPTATIVNCVLA.

*Paulus Io-*  
*ninus.*



VIVSMODI multa sunt doctissime Bembe, quæ quotidie à nostris in Africa, Asiaque pro sacro sanda fide catholica aguntur, quæ si Paulum Ieuum Nouocomensem, virum (vt fatear) doctum, non latuissent, ea quæ in sua Moscouitarum legatione, deceptus cuiusdam Pauli Centurionis Genuensis verbis, scribit, nunquam in lucem dedisset. vbi eundem Paulum iniuriis Lusitanorum accensum, ita afferentem introducit, Lusitanorum nauigationibus, non solum itinera reliquis nationibus in Indiam intercludi, verum etiam omnia aromata, inibi comparata, ingenti quæstu Olisipone, bona dum seruant, corruptaque prostituunt, venundari. Id autem non dabis Pauli verbis, vt hanc imposturam agnoscamus. Siquidem singulis annis, à Regis nostri negotiatoribus, omnia ad unum aromata, quæ ex India portata fuerint, diuenduntur. Nūquā enim inde tantum aromatum aduehitur, quin facile vertente anno ab Europa absimatur, præter piper, quod in multos annos sine corruptione seruari potest. Nec credo Paulum illum Genuensem ob publicum bonum talia blaterare, sed proprio commodo ad istius verba incitari, propter quod & cæteræ quoque nationes, nostræ inuident nauigationi, potius suum lucrum affectantes, quam propagationem religionis. Porro nos id quoque quod confiteri nefas non est, emolumentum etiam & opes ex nostris peregrinationibus quærimus, sine quo vix tota Europa sustinere posset sumptus, quos quotidie facimus. Certe vel ob id laudari debemus, quod non vt inermes negotiatores ad quæstum tantummodo aromatum per Oceanum oberramus, vt multæ nationes Italiæ, Hispaniæ, Galliæque antiquitus fecere, & modo faciunt, sed exercitibus, & classibus instructi maximo cum meatu hostium, non tam pomeria nostræ ditionis, quam Christianæ fidei prorogamus. Nec, vt falso multi opinantur, ex omnibus nostris nauigationibus lucrum elicimus, sed ex pluribus pro religione dimicando, magnam hominum ac pecuniarum iacturam facimus, vt in Mauritania, & Atlantico littore, vbi domit s, & in mancipiorum genus redactis Mahometanis omnibus, qui Lusitaniam occupabant, idque multis annis, confligendo paucis nostrorum copiis. Deinde Castellanis, eorumque sociis omnibus, ac Gallis, vnicō prælio ad Scalabitanum deuictis, ac ex regno depulsi, subito Abylam, siue Ceiptam celeberrimam ciuitatem in freto Herculeo sitam occupauimus. Postea vero Reges Fez & Hesperidum multis conflictibus subactis, Tingidem, Argillam, Aleacerem, Tutuanum, Afaphium, Castellum Regale, ac Assamorum, Titium & Massaganum, istorum Regum patrimonia expugnauimus, & alia oppida, quæ excidiis deleta sunt. Ex quibus locis omnibus non solum nihil commodi Regi nostro accrescit, sed etiam ingens sumptus impenditur, idque cum iactura multorum nobilium, quos ibi perpetuo in præsidio habet. Vtinam doctissimus ille Iouius ista una cum iis, quæ in Æthiopia à nostris geruntur, perspecta habuisset, vbi nostra opera & sermone potentissimus Rex Manicongri cum toto suo regno (quod in longitudine tria millia millium pass. habet, in latitudine ultra duo millia millium) fidem Christi accepit, eamque indies magis magisque colit. Deinde vtinam & id quoque cognitum habuisset, quomodo in omnibus Guineæ ac Nigritarum regnis, quæ plurima sunt, & ad montes Lunæ ferme usque atque in regnis Zofalæ, Bennamataxæ, Mocambiqui, Quilloz, Monbacz, Melindi, & in aliis, atque in insula diui Laurentii, & usque ad Arabicum sinum, liceat eandem Christi fidem per nos prædicari, atque in latissima Australi Brasiliæ plaga, vbi multas colonias nunc habemus. In quibus Regnis, multi ad ipsam religionis veritatem à nostris concionatoribus perduicti sunt. Præterea nostris quoque armis & in classibus fit, vt liceat (idq; nostris magnis sumptibus) Oratores potentissimi Preciosi Iannis Æthiopum Imperatoris, tuto aulam Romanam commeare, ac principis sui verbis, Romanum Pontificem vt supremum Episcopum agnoscere, subditorumque obsequia polliceri, id in mandatis habentes vt se Catholicæ Ecclesiæ coniungant. Quæres adeo præclara, vt gratulatione, non odio prosequenda esset, si vere Christi cultores essemus. Iam vt omittam, quo pacto nostri sepius sinum Arabicum perterrantes, Suezium usque peruerenterint, omnesque ferme eius litorales ciuitates euastauerint, ac tempora Mahometanorum incendiis absumperint, nec id quidem sine ingentibus sumptibus, ac magna nostrorum

nostrorum iactura conficitur, quæstu prope nullo. Rursum quod regnum Adenens. nobis tributarium cum Fartaquorum regno fecerimus. sinumque Persicum in ditionem, iusque nostrum fere totum redegerimus. Vbi regnum & insula Oromuzia, iam tanquam Lusitanæ legitima patrimonia sita sunt. Adhæc regnum quoque Cambaiæ, à nobis hoc tempore domitum est, & eius firmissima ciuitas Dium occupatum. In quo loco ingens classis Sultani Babyloniam, milite etiam Christiano instructissima, ac trecentis Regis Cambaiæ nauibus, quas Attalaias vocamus, & quadraginta Regis Calecutii, quas Parahos nominant, à Prorege Fráncisco de Almeida anno millesimo quingentisimo nono profligata est, pleis que nauibus, aut captis, aut demersis cum ingenti hostium clade. Quid hic referam Damcam, Cheul, Dabul, Batidam, ac Insulam Goæ, quæ tota iam Christo paret. Postremo quod ad Reges Narsingæ, Honori, Batecallæ, Otisæ, Deli Cananori, Callequi, Calecutii, Cochini Coulani, insulæq; Seylani, & vltra Gangem ad reges Bengallæ, Pegui, Syani, & ad magnam Malachæ ciuitatem, quam primo Alfonsus de Albuquerque Prorex, ditioni nostræ adiecit (cui etiam debemus Oromuzia, ac Goæ imperium) & ad insulam Samatræ. Ad lauam quoq; minorem & maiorem, & ad insulas Bandæ. Moluqui, & ad Borneum, postremo ad Chinam, ad Lequios denique nationem vix antehac cognitam, fidem Christi propagatam esse, quod nostri non æstimandis laboribus atque sumptibus obtinuerunt, quorum Reges, & plures alii, quos omitto, multi se seruos Regis nostri vocant, nonnulli tributarios, & confederatos, alii amicos, apud quos siue ex foederatorum genere sint, siue ex numero 20 dedititiorum, ab Herculeis columnis vsq; ad Chinam & Lequios per omnes prouincias maritimas, nobis authoribus, fides Christi celebratur, ita tamen, vt alibi id liceat colloquiis & sermonibus, alibi publicis concionibus, nonnullis in locis phana quoque, & templis religioni Christianæ dedicentur. Nunc certe IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS ET IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORVM, & spes est longius sensim ad mediterranea, fidem Christi propagatum iri, & Christo fautor, & nostrorum prædicacione. Quibus rebus omnibus consideratis, & quod Rex noster à principio nauigationis nostræ in Indiam cogatur perpetuo alere, tam in Mauritania, quam in ipsis Indiis, & in aliis quoque prouinciis, ordinarium & perpetuum exercitum, ferme millium militum, quos sumptus domesticis opibus tolerat, nullis ad hoc ab amicis auxiliis corrogatis. His 30 adiice classem plusquam trecentarum omnis generis nauium, quas nunquam etiosas, sed in perpetuis expeditionibus occupatas habet. vt iam non enumetem extraordinarios sumptus, quos ad subita bella facere cogitur, nam quæ superius recensisti, imp̄sæ pacis & tranquillitatis sunt, non bellorum, quæ subinde aliis ac aliis in locis gerenda sunt, dum aut fines tuerit, aut socios protegit, aut fines imperii promouet. Quis piorum Christianorum non desinat nos maledictis laceſſere, considerans ad tot sumptus sustinendos magnum omnino requiri lucrum? Quod sane nobis inuidere non debent, sed potius augere, aromata nostra carius emendo (quanquam à nostris semper vilius vendita sint, quam olim à cæteris nationibus vendebantur) vt ea pecunia Mahometani de facie terræ (quando alii Christiani principes inter se dimicando Christianam ditionem neglegunt) deleantur, & sa- 40 crosancta fides passim ac tuto prædicetur. Hæc omnia si ille bonus ac doctus Paulus Iouius sciuisset, nunquam aut de quæstu nostro inuidiam mouisset, aut corrupta aromata pro integris vendi afferuisset, quippe cum edicto Regis, placitisque totius regni mucida, adulterinaque semper crementur, id quod dum puer ab intimis cubiculis prudentissimi Regis Emanuelis essem, sèpius vidi Olisiponie fieri. Cæterum, si qua istius rei culpa est, ea apud solos istos tabernarios, propolas, & institores hæret, quibus nihil sancti, nisi quod cum lu- cro coniunctum est, in quos animaduertendum esset, nam ii omnium generum merci- moniorum corruptela verissima sunt. Hæc si Iouio comperta fuissent, non nostras laudes arroisset, sed benigna prædicatione celebrasset, quod illi ob tersissimam eloquentiam & facile, & expeditum fuisset. Hæc ad Dieni. oppugnationem, de nostrorum Lusitanorum 50 gestis, obiter adieci, vt per te (cuius amplitudo summa est) gratiam aliquam, & commen- dationem huic disceptatiunculae nostræ conciliarem, quo illa ex tua autorita- te maiorem vbique fidem emereretur.

Vale.

L. ANDREAE RESENDII  
EBORENSIS,

Antiquitatum Lusitaniae, & de Muni-  
cipio Eboreensi Lib. V.

ORATIONES ITEM, EPISTOLÆ HISTO-  
rica, quotquot reperiri potuerunt.

IN HISPANIA DILIGENTER AB AMICO COLLECTA,  
Nunc primum summa diligentia edita.

*Ad CC. VV.*

NICOLAVM ET SIMONEM  
RODERICIOS fratres, Lusitanos.

*Clarissimo Viro*

SIMONI RODERICIO  
LVSITANORVM, QVI ANTVER-  
PIÆ NEGOTIANTVR, COS. AMPLISSIMO.

ARNOLDVS MYLIVS, ARN. F.  
BIRCKMANNVS S. D.



I quibus sua cuique ornandæ patriæ voluntas est, amplissime RODERICIE, parem facultatem cum ANDREA RESENDIO doctissimo Lusitano attulissent, næ, illi quæ in tenebris adhuc apud varias gentes delitescunt in apertam lucem euocassent. Ille enim omni doctrinæ genere, Poetica Oratoriaque facultate iuxta atque Historicarum Ecclesiasticarumque rerum peritia, instructus, (teste Ioan. Vasco Brugensi, Eloquentiæ olim Salmanticæ doctore, qui illo Eboræ Lusitanæ usus antea fuerat familiariter,) ad patriæ antiquitates illustrandas sic aggressus est, ut qui hominis industriam mirentur, plurimos, qui vero imitentur, paucos inuenias: quare etiam RESENDII pectus amabit, quisquis literas amat, & patriæ studium inter virtutes adnumerat. Quæ quidem Antiquitatum & sacræ Historiæ monumenta, paucis hactenus vel visa vel cognita, quo ad omnes manaret utilitas, cum amici beneficio in Hispania, pridem collecta, ad manus nostras peruenissent, quod optumo cuique luce digna viderentur, ARNOLDVS MYLIVS parens optimus, euulganda censuit, & me quidem curante, clarissimi nominis tui auspicio, in publicum referenda existimauit: sperans fore, ut te patrono ab inuidiorum calumniis liberentur Resendianæ vigiliæ, prosintque iis, qui gentium variarum origines, situm, mores, titusq; sacrorum, è mutis quidem magistris, h.e. libris sed sumtu exigno, sed periculo nullo, domi auent cognoscere. Quamobrem ut labori nostro in colligendis tanquam naufragii dispersis tabulis, ANDREÆ RESENDII historicis scriptis omnibus quæ nancisci licuit, faueas, libenterque accipias etiam atque etiam rogo. Quod te facturum pollicetur innatus omnium animis amor patriæ, quo, ut in id, quod ad patriæ laudem facit, neruos omnes intendant, natalis etiam soli descriptores inter amicissimos agnoscent, pietatis amantiores impelluntur: humanitas etiam illa tua prope singularis, qua in tantis opibus, Dei benignitate larga manu tibi concessis, inopes in Xenodochiis libenter ipse & visis, & alloquuis requie iuuas. Quem tibi in æterna illa beatitudine thesaurum fore qui nec eripi possit nec corrumphi, nemo dubitat. Vale, & studia litterarum, potes etim, ope iuuare perge. Colonia Agrippinæ A.D. 1111. Cal. Mart. sacro anno seculari C13. 10 c.

VITA

# VITA

L. ANDREAE RESENDII

Lusitani,

Collecta ex ea quam

IACOBVS MENOETIVS VASCON-  
CELLVS I. C. CONSCRIPSIT.

10



NDREAS Resendius Ebore natus anno CIO. CCCC. XCIII.  
Quae urbs Olyspionensi inter Lusitanie urbes dignitate proxima,  
olim LIBERALITAS IVLIA cognominata est, Plinio auctore, mar-  
moreisque Inscriptionib. Patrem habuit Andream Vasorum Resen-  
dium, ex equestri ordine: matrem vero Angelam Leonoriam Vasianam  
Goes, feminam, ut natalibus, sic pudicitia claram. Vnde etiam ipse Re-  
sendius Angeli pranomen, aliquandiu usurpauit, quod ex librorum  
titulis, quos in prima etate edidit colligere licet. Infans patre orbatus, à  
matre liberaliter est educatus: cuius etiam pietate adductus adolescens  
etiamnum S. Dominici sodalibus nomen dedit. Pie hic & religiose à  
Prepositis Ebora educatus, illorum auctoritate Complatum Carpeta-  
norum adiit: ubi Antonio Nebrissensi magis nominis Grammatico, ac Rhetori operam dedit: post A-  
rium Barbosa m Lusitanum, Gracas litteras profitentem, audiuit. Cumque in illo felicioris ingenii in-  
doles eluceret, à matre & propinquis admonitus ut grauiora studia capesseret, Salmanticam profici-  
tur: ubi decurso laudandarum Arium curriculo, Theologie operam nauavit, magnosq. breui progres-  
sus fecit. Deinde vero in Galliam ad ubiorem ingenii cultum, parandamque è peregrinatione pru-  
dentiam, profectus, Lutetiam adiit, disciplinis ingeniosq. florentem Academiam, transactisque mensi-  
bus aliquot, Louanium Grudiorum se contulit in Belgium. Inde à Petro Mascarenio Lusitano nobiliſi-  
mo, (qui tum ad Cæsarem Carolum Regis Legatus Bruxellis versans,, incredibili discendi flagrabit cu-  
piditate) honorifico præmio euocatus, docendo industria, eruditioisque suæ exspectationem non aqua-  
uit modo, sed & superauit. Hunc & in Pannonica expeditione secutus, fidem illi suam probauit: ut &  
Cæsari castra Petrus secutus erat, aduersus Solimannum Turcarum Imp. Viennam Austriae obſidere  
parantem: sed re infecta, Caroli quinti virtute, fugere, magna etiam copiarum parte amissa, coactus ty-  
rannus est. Cæsari vero notus, & doctrinae opinione carus etiam Resendius fuit: maxime vero Ioanni  
terio Lusitanæ Regi acceptus, & in aula eius aſſidue versatus: numquam tamen, qua erat animi celsi-  
tudine, ad honores opesq. paruo contentus, aspirauit. Latere nimurum sine inuidia, & fallere, quam in  
excelsa loco digito monstrari, perpetuo maluit. Iuuenis adhuc Hispaniam, Galliam, Germaniam, & Ita-  
liam lustrauit. Maſilia enim ultra biennium commoratus, ad Aquas Sextias Hypodaconatus & Dia-  
conatus ordinem suscepit; ut epift. ad Kebedium scriptum reliquit. Mox non sine magna nominis cele-  
britate, domum reuersus, matrem deceſſisse comperit: cuius obitum quo animo tulerit, Tabula, quam se-  
pulcro ex antiquorum formula, scripsit affigendam, satis ostendit. Placuit eam ob elegantiam apponere.

## MEMORIAE ET PIETATI DICATVM

SALVE MEA MATER FOEMINA INNOCEN-  
TISS. CVI ME INTER CVNAS RELICTVM  
PIVS PATER FIDEI TVÆ NON IGNARVS.  
EXTREMA VOCE COMMISIT MORIENS.  
QVVIVSQ. PERPETVO CASTISSIMOQ. VID-  
VIO EDVCATVS LIBERALITER ANNO XXX-  
III. QVIDQVID ID ÆTATIS SVM. QVIDQVID  
FVTVRVS POSTEA. ADCEPTVM FERO. AVDI-  
TA MORTE TVA ADSVM AB VLTIMIS GERMANIS PA-  
RENTATVM. CONLACRVMANS MÆSTITER IVSTA SOLVI.  
ET QVONIAM TE VNA MEA MATER ADEMPTA MISE-  
RABILEM ET ORBVM TÆDET PATRIÆ OLIM DVLCISSI-  
MÆ. ITERVM PREGRE REVERTOR.

L. ANDR. RESENDIVS ANGELÆ LEONORIÆ VASIA  
MATRI PIENTISS. ET B. M. D. S. P.

Tomus II.

Ffff 3

Fixum id animo sedebat, cum matri iusta persoluisset, patriam relinquere, ne in oculos quotidie mœroris causa incurreret, nisi Ioannis Regis, & fratri eius Alfonsi S.R.E. Cardinalis amplissimi iussum manere, ut Reipub. utilis futurus ciuis, coactus fuisset, itaque ubi tum regni sedes erat, ades habuit, modicas illas quidem, & in quibus anguste habitaret, sed xysto & hortulo exultas, ac per amenas: domino vero adeo incundas, ut aliorum spaciois palatiis nihil inuidereret. Ornavit enim hortos, intus ordine collocatis antiquis Romanorum, quibus impensis delectabatur, Inscriptioibus, torus ut paries marmoreus videretur, non lateritus. Cui rei adeo enixe studuit, ut quoties iter faceret, tametsi longinquam, insarcinis (quis erat?) ligonem, aliaque ferrea instrumenta exportari secum curaret: ut sicubi Antiquitatis se se vestigia offerrent, ea industria sua atque impensa eruere, & incolarum oculis exponere posset. Fecit hoc non raro, nec modico sumptu, aut labore. Dominicani instituti habitum, bona cum Pont. venia, & Præpositorum, iustis de causis in sacerdotalem commutauit. Regulam tamen studiumque eius familia perpetuo, ad exirenum usque spiritum retinuit, ut in porticu cœnobii Eborense, (Claustrum vulgo vocant) in limine celle, quam Capitulum nominant, sepulcri locum sibi, matrice, pienissimæ matronæ, delegerit. Gratus dum vixit, acceptusque Principibus viris fuit, quælaus non ultima existimari solet: Cardinalibus præcipue duobus, Alfonso, Emmanuelis Regis F. & Ioannis III fratri, & filio, Henrico: qui post casu in Africana expeditione Sebastiano, regni clauum tenuit. Ille ad patriæ Antiquitates colligendas auctor exstitit: ludumque, Resendii frequenter honoris gratia, cum ades vicina essent, ingressus est: ut Phormionis philosophi scholam Hannibal, & Posidonii domum intrans Cn. Pompeius cognomento Magnus, fasces submisit. Henricus vero Ecclesiasticum sibi, verbiq[ue] Dei præconem (era enim patria lingua non siccus atque Latina perdisertus) de legit, & sacerdotiis aliquot cohonestauit. Celuit & ipse in Belgio versans ob singularem eruditionem, Conradum Goclenium Westphalum, Eloquentia primum in collegio trilingui Buslidiano Louanii doctorem. Testatum id Odæ eleganti, qua in manibus est, reliquit. Oraculum domus eius est habita eruditionis, antiquitatisque patriæ. & Ecclesiastice. Argumento sunt Epistolæ historicæ, de Hispania sanctis, Vincentio, caterisque ad Bartholomaum Kebedium, & Ambrosium Moralem. Hic enim Complutensis Rhetor, & ante illum Ioannes Vasæus Brugensis, Salmantica doctor Latine lingua, cum res Hispaniae literarum monumentis mandarent, plurimū se Resendii opera adiutos fatentur ingenue. Candidi est enim hominis agnoscere per quem profeceris, & quid cui acceptum referas. In poetica, pangendisque versibus mirifice excelluit, Horatii fere amulus. In scribendi ratione plus aquo Antiquarius, ut Adeceptum, & Quuius, aliaque id genus cupide scribebat, lapides & marmora imitatus, illumque secutus eruditus discipulus Achilles Statius est, Lusitanus & ipse, qui Romæ claruit. Sed de orthographia prisca, Resendius Epistola ad Alfonsum Card. initio Antiquitatum Lusitaniam, differuit. Eboræ ciuibus etiam carus, ut in oculis ferrent: in his potissimum dilexit Iacobum Menœtium Vasconcellum, Iurisc. quo urgente Antiquitatum libros ferme absoluuit: Qui extincto Andrea, nuper edidit hortante Henrico Card. auspicio vero & sumptibus Philippi Regis vere Catholici. Obiit vero Resendius iam octogenarius, anno CIO. IO. LXXIII. Statura fuit procula, prægrandibus oculis, criso capillo, colore subfuso: sed hilari minimeque contracta fronte. In domesticos, discipulosque seniorior, e cuius ludo tamquam ex equo Troiano, viri docti prodierunt: in quibus & Achilles Statius, singulari vir doctrina, & Antiquitatis Rom. peritis. aliique innumerabiles.

Alius, ne quis erret, Andreas est Eborense, qui dum Olyspone negotiatur, horis subseciuis librostra-  
ctans, Exemplorum, sententiarumque non paenitendam syluam à se collectam foras dedit, & Ludoni-  
co Granatenſi, Theologo disertissimo inscripsit. Cetera e scriptis Resendii cognoscas licet, quorum sylla-  
bum adscripsiimus.

## TOMI PRIMI ELEN-

CHVS, ANTIQUITATVM LV.

SITANIAE LIBRI QVINQUE.

**L**I B. I. De populis Lusitanæ.

Lib. II. De fluminibus Lusitanæ.

Lib. III. Quinam rerum in Lusitania potiti olim sint.

Lib. IV. De urbibus Lusitanæ.

Scholia IACOBI MENOETII Vasconcelli in præscriptos quatuor libros.

Lib. V. De antiquitatibus Eboræ, è Lusitanico ab AND. SCHOTTO Latinè redditus.

De Eborenſi municipio IACOBI MENOETII Vasconcelli liber singularis.

INDEX

# INDEX CAPITVM QVAE

## HIS QVINQVE ANTIQVITATVM

LIBRIS PERTRACTANTVR.

895

### L I B. I.

- D**E Lusitania nomine. pag. 899  
De Lusitania & terminis olim. 900 nostro euo.  
903  
De Turdetanis.  
De Celticis.  
De Turdulis.  
De Vettonibus & Vectonibus.  
De Barbaris.  
De Pafuris aut Pafuribus.  
De Turdulis veteribus.  
Qualis gens Lusitani.  
De Bracaris.  
De montibus Lusitanie.  
De monte Tagro sine luncto.  
De monte Herminio.  
De Tapiro monte.  
De monte Cordubae.  
De Alcoba monte.  
De montibus, Marano, Iureffo, Suaio & Muro.  
ibid.

### L I B. II.

- D**E fluminibus Lusitania.  
De pifice Asturione.  
De Callipode.  
De Tago flumio.  
De Tagi nomine.  
De Munda.  
De Vacca flumio.  
De Durio.  
De fluminibus Bracarorum.  
De Minio.  
De aliis nonnullis fluminibus.  
De Lusitania & fertilitate.

### L I B. III.

- Q**VINAM rerum in Lusitania potiti olim sint. 927  
De Gothis.  
De viis militaribus.

### L I B. IIII.

- D**E urbis.  
De Maura.  
Lusitania Algarium.  
De Myrtili.  
De Balsa.

De Ossonoba.

ibid.

De Lacobriga.

954

De porta Hannibalis.

ibid.

De Medobriga.

ibid.

De S. Iacob de Cacem.

955

De Cetobriga.

956

De Neocetobriga.

ibid.

De Pace Julia sine Augusta.

957

De Orichensi agro.

959

De arcu extracto à Sebatiano rege in victoria loco

961

ibid. De Colla.

ibid.

De Sini.

962

De Heluis.

962

De villa Virosa.

963

De Iouisfano.

964

### L I B. V. Q VI E S T

de antiquitatibus Eboræ.

#### P Refatio.

971

De vera Eboræ appellatione.

972

De prima Eboræ origine.

973

De Sertorianis temporibus.

ibid.

De Coloniarum & Municipiorum iure.

974

Eboram Latii iuris Municipium fuisse.

975

A quo primum Eboræ hoc ius concessum.

ibid.

De flamine & flaminica Ebora.

976

Clarorum aliquot ciuium Eborensum monumen-  
ta.

977

De atate, qua Christianam fidem Ebora suscepit

926 977

ibid. Eborensem Episcopatum per antiquum esse.

978

ibid. Rasis, historici Arabis, de Eborensi Episcopatu te-  
stimonium.

979

De Ebora à Mauris captæ statu.

980

Qua tempestate Vlyssipo, Ebora & Pax Augusta  
à Mauris captæ.

981

Ebora qua ratione in Christianorum potestatem,  
redacta, restitutaque sit.

982

Ebora rursus Episcoporum sedes constituta, &  
quis primus Eborensum Episcopus.

982

De prima Ordinis militaris, quæ hodie Avis ad-  
pellatur, apud Eboram origine.

984

ibid. Iacobi Menætii Vasconelli de Eborensi municipio  
commentarius.

985

Ffff 4

# Iacobi Menætij Vasconcelli

IN LAVDEM

## LVCII ANDREÆ RESENDII, LVSITANIA RESENDIVM

alloquitur:

**R** Ex Macedū clari proles generosa Philippi,  
Cū terras Asia quateret vicitrib. armis,  
Dirutaq; antiqua lustrans vestigia Troiæ,  
Potaret Simoentis aquas, Xanthique liquorem,  
Constitit ad tumulum Sigæo in litore, magni  
Æacide, tali compellans voce sepultum.  
O felix nimum iuuenis, cui contigit altum  
Mænida plectrum, quo se tua gloria cælo  
Attollens, viget aternos manjura per annos.  
Sic ego fælicem Resendi maxime, nostræ  
Gentis honos dicam nunc me, nimumque beatam.  
Quod tua me titulis decorarint scripta vetustis,  
Et decus antiqua repetens ab origine nostrum  
Erueris, monumenta mea testantia laudes.

Macte animi, non tu vanos mihi singis honores.  
Aut mea fucatis auges præconia verbis:  
Sed veram historia seriemque fidemque secutus,  
Abdita Romanis annalibus, abdita Grais  
Pandis, & in lucem multis incognita profers.  
Lysiadum narrans insignia facta meorum,  
Magnanimosq; duces, olim quos Romula virtus  
Ut bello invictos, sic fidos pace probauit.  
Ipsa igitur clarum ventura in facula nomen  
Consequar, atque aeo per te celebranda futuro  
Semper ero, dum nostra Tagus per rura meabit  
Aurifer, & rapido descendet in aquora cursu,  
Dumque meo feßos merget Solitore currus.

## IOAN. SECUNDVS HAGIENSIS, L. ANDREÆ RESENDIO.

**Q** uod tibi Pierios Vrbs aspirauit odores  
Divite qua Delus, nat finosius aquæ,  
Turris ubi vastæ moles operosa superbit,  
Mæniaque hostili non superata pede,  
Non honor ille mihi debetur, docte Resendæ,  
Debetur fratri non honor ille meo,  
Sed sua Tesciades oblectamenta secutæ  
Plectra que Phœbeis emula pectinibus:  
Pertesæ laticesque suos, & Apollinis odas,  
Haerunt lateri, magne poeta, tuo.  
Teclaque cum sacro subierunt hospitavate,  
Mox & odorato rore rigatur humus,  
Vestiturque locus violis, quas legerat ipsa  
Parnassi in ripis Calliope refeis.  
Hinc tibi Castaliis fragrarunt dotibus aura,  
Fallor, an & nostris naribus hæsit odor?

Ad Eundem.  
**A** ngele ad immeritas laudes ignosce tacenti:  
Si tua declivis plectra morentur aquas,  
Vocalesque modos iles aurita sequatur  
Mitius, & sortis te premat ira tua,  
Nec te perpetuo grauet aula hæc imperiosa,  
Sed tua purpus eus tempora cingit honor.  
Quæq; gerit laurum frons, & gerat illa galerum,  
Hæc ego fatipotens hæc rata Phœbe velis.

Ad Eundem.  
**R** ebus in aduersis animosius frange superba  
Iura Dea, dominâq; rotâ, quæ singula versat,  
Stare loco impatiens, spera bene, forsitan astro  
Adueniet grata hora suo, nec lenit a moratur,  
Quum te, cornuta cinctum sacra tempora mira,  
Sublimem sortis meminisse iuuabit acerba.

## ARNOLDI MYLII ARN. F. BIRCK- MANNI, ANAGRAMMA.

Lucius Andreas Resendius Eborenus:  
Sancte, Resendi sis robur aulæ, si, decus.

**I**n solitum splendens lux, oria Resendius orbi,  
Præsertim populo Lysia terra, tuo?  
Quæis animum studiis, quando stetit anxius, olim  
Defessum curis subleuet aut recreet:  
Certarunt superi, cuius sub numine vitam

Vineret Andreas, Mars meus, inquit, erit,  
Illum Saturnus, voluit Mercurius illum  
Calliope meus est, dixit Apollo, meus.  
**A** loue sum super hac SANE subiecta, RESENDI  
SIS AVLÆ ROBVR, gloria Lysiadum,  
Induperatorumque AVLÆ, Regumq; Ducumq;  
SIN ROBVR, regis SIS DECVS ergo tui.

Alfonsus

# Alfonso S. R. E. Card. Emmanuelis Regis filio

L. ANDR. RESENDIVS S. P. D.



LLI qui vetusta hæc saxa, quæ in veteribus Romanorum Cœloniis inueniuntur litteris notata, admirantur, cupideue requirunt, mordetur abunde: nec solum iam ab ineruditis istis crassisque hominibus: sed interdum etiam à doctis adprime viris. Ab illis quidem, quoniam, quæ non norunt ipsi, summa improbabant confidentia, & ne scitu quæque dignissima, male ignorare videantur, hinc latebram, & perfugium sibi ignorantiae pertunt, quasi gentilium nugas, ut pios decet, fortiter spernant. Cur autem doctis, non video nisi otiosis facetiari sic libet, in alienam diligentiam. Facete illi quidem, & nimis ridicula oratione iocantur; tamen vtinam quam false, tam vere hoc ab illis fieret. Quoniam vero neminem me plus uno, horum laedit dicacitas, accipe Princeps piissime, quæ pro causa mea, & eorum qui in ea mecum sunt opinione, dicenda habeam. Primum omnium, si, teste Fabio, scribendi ratio, quam Græci orthographiam vocant iuncta cum loquendo est, & nos Romane loqui & scribere volumus, sicut eloquentiam ex doctissimis libris, ita orthographiam ex marmoribus his petendam, apud illum peruvincemus, qui tem paulo æquius animo aduerterit. Mali custodes orthographiæ sunt libri, quisque librarius suo more scribit, sua nititur opinione, mutat, inuertit, corrigit ut lubet. Nec si Ciceronis manum, aut Vergilii præse liber ferat, pensi quidquam habuerit. Mitto quod Gellius palam testatur sciolos in Salustio, & aliis meras fecisse nugas; illuc eo, vnde corrupta deflemus immortalium auctorum monumenta: Quid? cum codicem vetustum quempiā in manus adsumimus, nomine aliam scribendi cernimus rationem, quam ea est, qua passim nunc docti pariter utuntur, & indocti? Ac saxa, quod semel insculptum est, aut incorruptum seruant, aut simul cum litteris pereunt. Saxa, inquam, quæ eruditum illud seculum legenda reliquit. Nec enim ego aut prisca nimis, aut recentia, hoc est, post Gothicam inlusionem incisa, sequenda centeo. Nec si interdum barbarissimum inuenero in saxe, aut marmorii ignavia, aut dormitantia, id defendam, sed, quod perpetuum magis, magisque usitatum videro, id sequendum ducam. Nec adeo morosus sum, ut quoniam semel, iterumque, scriptum inuenerim, VCSOR VICST, PLEPS, COIVGI. Quæ prisca sunt, statim ita deinceps fecero. Adhibenda prudentia est, & quod eruditiori seculo placuit, quodque constanter inuenitur, id imitandū. Altera deinde accedit utilitas, nec minima: Videlicet, quod sepe ibi legimus nomina urbium, quarum mentio in libris est, quæ nunc forte ignorantur. Quod cum cosmographiæ conduceat multum, atque adeo latine scripturis maxime, tum vero illud iucundissimum, quod quæ ad historiam attinent, & dicendi suppelleat, patetque ornatum, nonnunquam adserunt. Errore ante hoc Badiora, pax esse Iulia credebatur. Medobriga, Derobriga, Salacia, omnino ignorantæ. Aquarum Flauiarum ne mentio quidem villa erat. De Augusti turre, & fluvio Sarte apud Pomponium, aliter à commentariis deliratum, auctorque ipse summa iniuria laceratus magis quam emendatus. Quæ omnia nostra diligentia ut à situ informi adseruit, ita aliquando ab iniuria hallucinantium vindicabit. Sexcenta suppetunt exempla, quæ ne longior sim, omitto. Mihis sic videtur: cui aliud arridet, per me quidem licet illi sine hac morosa cura, profundum stertere. Ego iussis tuis parui, mi Princeps & cupio totam perlustrare Lusitaniam, veteresque Colonias de novo rediujas mundo facere. Sed nihil egtegium moluntur, quos familiaris res æquo malignior deme premit. Quæ per occasionem oblata sunt peregrinanti, damus.

Daturi quæ post hac tempus adferet. Vale Eboræ, Calendis Octobris M. D. XXXIII.

BARTHOLOMAEO FRIAE  
ALBERNOTIO I. C. DO-  
CTISSIMO.

L. ANDREAS RESENDIVS  
S. P. D.



VANTVM Albernoti, exaduentu ad me tuo, percepi volu-  
ptatis, si contulero cum dolore, negati tibi in urbem nostram  
ingreslus, ab isto, qui pro absente prouinciae huius Transta-  
ganæ præside, vicarium gerebat magistratum; absque dubio  
pœsterum hoc, prius illud, longo post se interuallo relinquet.  
Nam sicut ex altero, mihi honor à te habitus, multum me ex-  
tulisset, ita alterum, eo vsque depresso, adfecitque pudore. vt  
quanquā dissimulaui, acerbius in vita nihil vñquam me per-  
tulisse, audeam affirmare. Auxit dolorem hunc, post villaticā  
illam, & quasi furtiuam vnius diei collocationem sparsa per  
urbem repulsæ fama, admirante populo, mihi homini ne i-  
gnoto, neque ciuibis meis non caro, denegatam recipiendi tanti hospitis facultatem: spe-  
cioso isto auertendæ pestilentia, quam ab Hispali metuebamus, prætextu: cum tamen de  
eo metu securos nos redderet, maximum inter Hispalim & Talaueriam vnde veniebas,  
terrarum interstitium. Optimates autem, & ex decurionibus triumviri, ac meliorum lit-  
terarum amatores, quorum non est exigua, neque contemnenda apud nos copia, vna cum  
superueniente Roderico Vernandio Castaneda prouinciae præside, quem vobis Iuriscon-  
sultis permittentibus correctorem appellamus, viro ptereruditio, ac nobili, & ingenii maxi-  
me comis, atque humani, indignitatem rei, non modo ægerrime ferebant, verum dictis  
etiam insectabantur, existimantes ad honorem vrbis, intromitti virum talem, pertinuisse.  
Nam si nihil aliud hic esset, tibi quod spectare conlibuisset, cum tamen sint nonnulla, cer-  
to sexto à recessu tuo die, puella septemdecim annorum, Publia Hortensia à Castro, studi-  
is Aristotelicis non vulgariter instructa, publicè disputans, multis doctis viris, quæ propo-  
suerat conuulentibus, cum summa dexteritate, nec minore lepore, argumentationum ca-  
uillationes eluderet, tanta animum tuum perfudisset iucunditate, vt spectaculum pulchri-  
us, tu te non vidisse, si adfuisses vtique fatereris, & urbem, quæ eam habeat puellam, (omiti-  
to formam intra modum venustam) dignam, non negasses, ad quam sola ea gratia, deueni-  
res: sed bonus illis præsidii vicarius, vt ista potuit inturbare, ita euadere non potuit, quin  
durissimi oris, & ingenii perseueri, ne dicam agrestis, pœnas daret, vsque ad conuicia bar-  
baræ inciuitatis denotatus, & ego me illi, hisce commemorandis, vt meritus est, gratiam  
habuisse, nolui præterire. Cæterum redeo ad te, cui pro singulari tua humanitate, debere  
me intelligo: sed quid litterato homini & in re ampla constituto, reddam, præter litterari-  
um munus, equidem non video. Ita ergo faciam, & antiquitatum Lusitanæ nostræ, cum  
veteribus inscriptionibus, quibus delectari te animaduerti, scribam commentarium, rem  
à studio sis apud nos antiquitatis, à me diu desideratam, expectatamque, sed haec tenus dilata-  
tam, quia peragrada vniuersa erat prius, ei qui de vniuersa scripturum se pollicetur, Quod  
efficere neque priuatis intra tenuitatem opibus, ipse potui, neque mihi contigit, qui sua  
quantacunque opulentia, animum per difficile opus molientem, erigeret, & incitaret. No-  
ta igitur, ac comperta mihi scribam, & patefacta curiosis via, aliis supplenda  
cætera, post me relinquam.

L. ANDR.

L. ANDR. RESENDII  
 DE  
**ANTIQUITATIBVS LVSITANIAE, LIBER PRIMVS.**

*De Lusitania, eiusq; populis.*



RINCIPIO, ut nomine LVSITANIAE aliquid dicamus, nomen illi dedisse LvsVM Liberi patris, ac LYSAM cū eo bacchantem afferit Plinius: cuius verba nonnulli diuerso sensu lib. 3. c. 1. intellexere, dum aliqui LvsVM, atq; LYSAM Bacchi fuisse comites credunt, à quorum altero LVSITANIA vocata sit, ab altero vero LYSITANIA: utroque enim modo appellari solet. Alii LvsVM, non hominem, sed ludum potius, seu lusionem interpretantur. Qui parum aduertisse videntur, non potuisse eo tempore à Latina voce, fortassis nondum auditā prouinciam denominari: denominata est autem LVSITANIA ex ipso Bacchizuo, si Varroni, quem Plinius citat, fidem adhibeamus. Nec desunt qui pro LYSA LYSSAM reponant, id est bacchantium rabiem, atque furorem. Sed cum per diuersas prouincias Mænades bacchatæ sint, cur hoc nomen hic potius, quam, alibi, tanquam rabiei monumentum sit impositum non video. Adde quod si ab illa insolenti, & absurda vocula prouinciam dictā esse admittamus, non LVSITANIA, sed LYSITANIAM eam nominari oporteret. Verum cessant ista omnia, si veterem lectionē non intelligamus, & à Luso quidem LVSITANIAM, à LYSA vero LYSITANIAM esse vocatam, ægre non admittamus. Certe LvsVM hominem fuisse supposititius Berosi auctor intellexit, quem in Hiberia, ASCARIDIS nescio cuius Babyloniōrum Regis tempore, regnasse perhibet, sub quo vitis apud Græcos inuenta sit: inuentam autem aiunt à Dionysio. Concurrunt igitur DIONYSIVS vitis inuentor, & LvsVs, ut appareat ex ratione temporis, Lusum ad DIONYSIVM, id est LIBERVM PATREM potuisse pertinere.

Sivero qua necessitudine illi coniunctus fuerit, forte dubitetur, ego ex loquendi formula, filium fuisse puto. Nec vero alienum videri deber, Dionysium vtique hominem filium genuisse perhiberi, cum ei quoque ARISTÆVM olei inuentorem filium Græci tribuant, vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero. Quamquam ipse, non AC LYSAM sed AVT LYSAM legendum puto, ut idem fuerit LvsVs qui LysVs, is, qui cum Libero patre bacchari sit solitus. Nam à Græco nō, vnde ipse etiam Bacchus LysIVS cognominatus est, & eius sacerdotes Lyssi, homo ille LysVs dici potuit, qui Latina consuetudine in LvsVM mutatus sit. Et sane magis videtur consentaneum ut ab uno potius prouincia nomen acceperit, quam à diuersis. Quia etiam si LYSAM legere magis libeat, modo particulam AC in AVT commutemus, idem efficietur, ut videlicet vel à Luso LYSITANIA, vel à LYSA LYSITANIA fuerit nominata.

LVSITANIAE nomine Latinilibri pleni sunt, & Græcorum nonnulli, inter quos Ptolemæus atque Stephanus. LYSITANIAE vocabulo vtuntur Dion, Strabo, Athenæus ex Polibio. Neque id Latinis est insolitum: nam & in Pandectis, sub Titulo DE CENSIBVS, verba sunt nouissima Pauli Iurisconsulti: IN LYSITANIA PACENSES, & EMERITENSES IVRIS ITALICI SYNT. Eboræ quoque in eisdibus magistri Equitum lapis est cum hac inscriptione:

LABERIAE L. F. GALLÆ FLAMINIÆ  
 MUNICIPALIA EBORENSIS FLAMINIÆ  
 PROVINCIAE LYSITANIAE.

Id est,

LABERIAE LVCIT FILIAE GALLÆ FLAMINICÆ MUNICIPALIA EBORENSIS FLAMINICÆ PROVINCIAE LYSITANIAE. de qua inscriptione in libello, quem DE EBORENSIVM ANTIQUITATE vulgari lingua iam pridem scripsimus multa à nobis dicta sunt.

LVSITANIA vero populi et si in multas speciatim gentes diuisi sunt, tamen vniuersi ac generatim LVSITANI appellantur. Stephanus autem in libro de vrbibus, fretus Artemidori testimonio, LVSITANOS etiam BELITANOS vocari tradit. Sed cum causam ipse minime assignet, nec apud alios scriptores reperire liceat ullam eius nominis mentionem, ego verisimili coniectura ductus, existimo à BELIS POPVLIS vel ab oppido BETHICÆ, cui nomen BELIONA dicitur Strabo, LVSITANOS potuisse BELITANOS vocari: nisi Stephanum BELITANOS, quicunque illi fuerint, à LVSITANIS originem ducere intellexisse credamus: quod Græcaphrasis magis significare videtur, quæ sic habet: BELITANI IDEM SVNT CVM LVSITANIS, IVXTA ARTEMIDORVM IN TERTIO GEOGRAPHIÆ LIBRO.

16  
Enūmerat etiam Plinius BELITANOS populis non procul à Cæsaraugusta, quos à LVSITANIS originem traxisse suspicari possumus, & ita Stephani verba intelligi debere. Supereft, vt obiter admoneam lectorem, fuisse & LVSITANVM gentē, quæ vt Strabo ait, ad fontes Tagi olim pertineret, & in Arcadia Lufos oppidum, in cuius ruinis Mepſæ suotempore extarent, collocasse Pausaniam libro octauo, vbi Clitoriorum fines describit. Sed hæc de nomine satis.

### LVSITANIA TERMINI.

**C**eterum LVSITANIA, vt nonnullarum aliarum prouinciarum terminos apud auctores præsertim Græcos variasse cōperimus. Strabo enim à Tago ad Artabros, qui iuxta promontorium Celticū sunt, LVSITANIAM protendit. TAGI VERO REGIO, inquit, AD AQUILONEM SPECTANS LVSITANIA EST, INTER HISPANOS GENS AMPLISSIMA, & ANNIS PLVRIMIS ROMANORVM ARMIS OPPVGNATA. HVIVS REGIONIS LATVS AVSTRALE TAGVS CINGIT, AB OCCASV VERC, & SEPTENTRIONE OCEANVS, AB AVRORA CARPETANI, VETTONES, VACCÆ, & CALLAICI, SATIS NOTÆ GENTES. Et paulo post, Minum amnem omnes Lusitaniz fluuios, dicit, magnitudine superare. Artabros etiam LVSITANIA postremos ad septentrionalem, & occasum vocat. Regionē vero, quæ inter Tagum & Anam est, à LVSITANIA excludit. Vnde & Barbarium promontorium super LVSITANOS esse commemorat, vbi de stanni fodiinis loquitur. Carpetanos etiam, Vettones, Vaccæos, ac Callaicos cum ab aurora dicat LVSITANIAM cingere, extra LVSITANIAM eos proculdubio esse ostendit. Quamquam, vt ibidem ait, nonnulli & hos LVSITANOS vident. De Vettonibus postea. Satis modo sit, istos nonnullos, qui nulli iam sunt, Strabonem non probare, sed pro non LVSITANIS Carpetanos, Vettones, Vaccæos, & Calaicos habere. Ad hæc de Tagiagens origine, eumque ex Celtiberis per Vettones Carpetanos, & LVSITANOS in æquinoctialem labi occasum dicens, manifeste à LVSITANIS separat non modo Vaccæos, & Callaicos, sed etiam Vettones. De Vaccæis quidem dubium nullum est: de Callaicis, & Carpetanis dubitabit aliquis. Sed meminerit, Strabonem LVSITANIAM ad Artabros usque extendisse, tametsi non dissimulat suo tempore multos LVSITANORVM Callaicos iam vocari.

Ita igitur intellecta Strabonis LVSITANIA Callaici, qui ipso auctore nouissimi montana habitant, Vaccæis vicini, & Asturum nonnulli, quos omnes ob vicinitatem Callaicos appellat, ab aurora LVSITANIS fiunt. Sed Carpetani, quos post Oretanos ad Aquilonē declinare commemorat, quid ad LVSITANIAM attineant non video; nisi dicamus Strabonem eos per defluentem Tagum ab Oriente versus Occasum usque ad LVSITANIAM protractisse. Similiter & Vettones, & Vaccæos, quemadmodum & Turulos inter Anam, & Tagum, in quibus Emeritam locat. quæ regio illi LVSITANIA non est, cum primum Australie eius latus Tago determinat.

Alibit tamen, hoc est sub fine tertii libri cū Hispanias ab aliis in partes duas, ab aliis in quinque fuisse diuisas dicit, earumque alias plebi, Senatique attributas ostendit, alias Romanō duci: & quidem Bæticam plebi attributam, ad quam Prætor mitteretur, qui legatum haberet, & quæstorem, reliquam omnem Cæsaris esse, qui duos mitteret legatos, prætorium, & consularem. E quibus prætorius legatum haberet secum, qui LVSITANIS ius diceret, qui Bæticae adiacentes usque ad amnem Durium, & eius ostium extenderentur. Subdit veros LVSITANIA terminos, LVSITANIAM dicens eam regionem appellari, proprio in eum diem nomine in qua regione sita sit Augusta Emerita. Reliquam autem maximam Iberiaz partem (iuuenus enim interpretes, qui Græca minus commode verterunt) esse eam, quæ duci consulari subderetur, non indignum exercitum habenti, tribus instructum ordinibus, ac legatis tribus.

Quorum

Quorum unus duos secum ordines ducens, tractum ultra Durium ad Arctos seruaret universum, quem tractum, inquit, prius *Lusitanos* quidam appellabant, alii vero modo *Callai-*  
cos vocant. Hi itaque iuxta Strabonem *Lusitaniae* fuere termini.

Ptolemaeus Latinis geographis conuenientius *Lusitaniae* australe latus Ana disternit, septentrionale Durio. Quæ autem à Durio ad Minium est regio Callacorum Bracarorum, Tarragonensi prouinciae contribuit, quemadmodum & Plinius. Differt etiam à Strabone, quod Vettones ab orientali parte adscribit *Lusitaniae*: & sane ita sunt. sed an tam late paterent, ut intra se Salmanticam includerent, postea expendemus. At Latinorum multo constantior, & indubitata magis est ratio. Pomponius scriptor non modo diligens ac disertus, sed etiam, utpote Hispanus, domesticarum rerum peritissimus, breuiter, & eleganter tres, quæ tunc erant, Hispaniæ prouincias diuisit. Tribus autem, inquit, est distincta nominibus, parsque eius Tarragonensis, pars Baetica, pars Lusitania vocatur. Tarragonensis altero capite Gallias, altero Baeticam, Lusitaniamque contingens, mari latera obiicit; nostro, qua meridiem, qua septentrionem spectat, Oceano. Illas fluuius Anas separat. & lib. 3. de flexu terræ inter Tagum & Durium cum agit, ita scribit: In eoque sunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere ultimi promontorii latus effluens, & radices eiusdem abluens Durius. In tria enim promontoria dispersam Lusitaniam dixerat. Plinius similiter lib. 3. cap. 1. Ulterior videlicet Hispania in duas per longitudinem prouincias diuiditur. Si quidem Baetica latere septentrionali prætenditur Lusitania, amne Ana discreta. & lib. 4. cap. 21. A Durio Lusitania incipit. Sed quando in hunc Plinii locum incidimus, exigit res, ut duo eius capita expendamus, quæ ad Lusitaniae situm rectius percipiendum maxime pertinere censemus.

Ante annos quadraginta, cum Salmanticæ studiorum causa agerem, & Ferdinando Pintiano Græcarum litterarum, ac Plinii publico professore, eius rei gratia plurimum uter, ostendit mihi vetustissimum Plinianum codicem, quem ab ecclesia Toletana conferendigratia dato pignore deferendum curauerat: alterum quoque ex Salmanticensis academia Bibliotheaca, quæ certa hora solet quotidie sub duobus custodibus aperiri, non admodum sane veterem, scriptum tamen perdiligerent. In utroque deprehendimus, quod in publica lectione testatus ille erat, decem aut duodecim versus, ut mihi primo visi sunt, loco suo luxatos, à promontorio Celticō in promontorium Olisiponense scribē oscitantia immigrasse, magna sensus confusione, 'cum magna etiam Plinii ipsius iniuria.

In medio igitur vigesimo capite quarti libri ad hunc modum ambo codices habent. Promontorium Celticum, quod alii Artabrum appellauere, terras, maria, cælum disternans. Illo finitur Hispania latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrion hinc, Oceanusque Gallicus, Occsus illinc, & Oceanus Atlanticus. Promontorii excursum L X. M. prodidere. Alii X C. ad Pyrenæum inde, non pauci X I I. L. millia, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifesto errore. Arotbras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, literis permutatis: Amnes Plorius, Nelo, Celtici cognomine Neria, superque Tamarici, quorum in peninsula tres aræ Seßiana Augusto dicatae. Cepori. Oppidum Noela. Celtici cognomine Praesamarci. Cileni. Ex insulis nominanda Corticata, & Aunios. A Cilenis conuentus Bracarum. Heleni, Grauii, Castellum Tyde. 40 Grecorum Sobolis omnia. Insulae Cicæ. Insigne oppidum Aborigina. Minius annis I I I. M. paſſ. ore spatioſus. Leuni Seurbi. Bracarum oppidum Augusta. Quos supra Callæcia. Flumen Limia. Durius annis ex maximis Hispania ortus in Pelandonibus, & iuxta Numantiam, lapsus deinde per Areuacos, Vacceos, disternat is ab Austria Vettonibus, à Lusitania Callæcis. ibi quoque Turdulos à Bracaris arcens. Erratum & in annib[us] inclytis. Ab Minio, quem supra diximus CC. M. paſſ. ut autor est Varro, abest AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limiam vocant obliuionis antiquis dictus. Omnisq[ue] dicta regio à Pyrenæo metallis referta auri, argenti, ferri, plumbi nigri, albig.

A Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Pesuri. Flumen Vacca, oppidum Vacca, oppidum Talabrica, oppidum & flumen AEminium. Oppida Conimbrica, Colippo: Eburo, Britium. Excurrit deinde in aliud cornu promontorium, quod alii magnum appellauere, multi Olisiponense: ab oppido. Ab 50 Durio Tagus CC. M. paſſuum interueniente Munda.

Exultaui equidem tunc, propter Plinii grauitatem. Illo siquidem pacto calumnia negligentiæ, quam patitur ab omnibus, qui geographicæ tractarunt, liberari sane videbatur, & Pintiano magnas egi gratias, qui id demonstrasset. Verum exultare desii Plinii verborum seriem penitatus expendens, simulque sumpto in manus Solino, Plinii ipsius, ut perhibetur, simia, cuius referam verba, atque ex manu scripto vetustissimo codice, ut syncretius exeant: In Lusitania Hispania promontorium est, quod Artabrum alii, alii Olisiponense dicunt. Hoc cælum, terras, maria distinguit. Terris Hispaniæ latus finit, cælum, & maria hoc modo diuidit, quod circuitu eius incipiunt Oceanus Gallicus, & frons septentrionalis. Oceano Atlantico, & occasu terminatis. Ibi Tagus flumen: Tagum ob arenas auriferas ceteris amnibus prætulerunt. In proximitate

Olisponis equa lasciunt mira fecunditate. Nam aspiratae Fanomis, vento concipiunt & sientes viros aurarum spiritu maritantur.

Non dubium est hæc Solinum ex Plinio esse mutuatum, in eandemque sententiam, & Marcianum Capellam abiisse, & Isidorum decimoquinto etymologiarum libro, & alioqui ipsa verborum connexio fatis indicat Plinium ita scripsisse; attendat diligens lector: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere.* Sunt ne hæc verbalonge à Celticō iam progressi, an adhuc in eodem describendo inhærentis? *Hoc in loco posuere.* Quo in loco? In Celticone; certe: ibi enim ceteri eos collocant, & ipsem Plinius: Ponit enim Arotebras ante Celticum. Arotebrae autem iidem sunt qui Artabri. *Nostra etatis homines, ait Strabo, Artabros Arotebras vocant, litteris permutatis, ut fatetur Plinius.* Quomodo igitur in Celticō detentus, quasi sui oblitus, erroris manifesti argueret eos, qui ibi gentem Artabrum, quæ numquam eo loci fuerit, posuissent.

Ista quæ admissa Toletani, & Salmanticensis codicum lectione, obici poterant, nequaquam obiicientur, si quod de Artabris hic ait, Olisponensi promontorio Plinium dicamus tribuisse. At falsum est, Olisponense promontorium terras, cœlum, mariaque distingui, illoque Hispaniæ latus finiri, & à circuitu eius frontem incipere, clarissime dicente Strabone Hispaniæ latus hoc ab sacro promontorio usque ad Artabrorum montem, hoc est, promontorium Celticum extendi: & quartum denique latus ex eolo 10 usque ad promontorium Pyrenes, quæ pars Boream spectat. Falsum etiam, quod de promontorii excursu, & longitudine indead Pyrenæum, si quidem de Olisponensi intelligas.

Quid ergo dicemus? nisi Plinium male Artabrum promontorium cum Olisponensi confudisse. Poteratque non minima ex parte culpam eius, minuere, quod non ipse affimat Artabrum id esse promontorium, sed nonnullos ita vocasse, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuerit, collocasse, atque hoc manifesto, ut inquit, errore. Et erroris causam subiicit: *Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, litteris permutatis.* Quos iure reprehendit, quicunque ii fuerint, qui Artabrum promontorium hoc Olisponense vocarint. additque optima verborum consequitione alium non minimum errorem.

Erratum, inquit, & in amnibus inclytis, sicut, ait, erratum in hoc est, quod promontorium magnum, siue Olisponense Artabrum appellauere, ibique gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuit, manifesto errore posuere. ita erratum ab iis est in amnibus inclytis, videlicet Aminio, atque Limia. Quemadmodum itaque ex parte hac Plinium excusare possemus, quando erroris arguat eos, qui Olisponense promontorium Artabrum appellauere, ita protegere à culpa non audemus Olisponensi isto terras, cœlum, maria distingui, eoque Hispaniæ latus ad Occidentem finiri asseuerantem.

Sed mirandum nequaquam est, falli, ac decipi tempestate ea Plinum, cum nostra hac quotidiano usu, & tanta frequentia, quasi digitis conrectatis rebus, & oculis etiam ad fastidium subiectis, atque perlustratis, Ioachimus Vadianus, qui propter erratum hoc in Plinium adeo excandescit, ut iuuari eum etiam prohibeat, deceptus ipse sit, promontorium Cuneum Sancti Vincentii esse caput, & sacrum idem, quod Barbarium opinatus: præter illa, quæ de Salaria, atque Olypone alio eo loco obieci. Lubrica isthac sunt, & cognitu non nimis facilia, atque in tam vasto terrarum orbe non labi pene monstri simile.

Mihi si meo arbitratu Plinium emendare liceret, sic potius legerem: *Promontorium Celticum, terras, maria, cœlum distingui.* Illo finitur Hispaniæ latus, & à circuitu eius incipit frons. *Septentrio hinc, Oceanusque Gallicus, Occidens illinc, & Oceanus Atlanticus.* Deinde in capite de Lusitania, sic: *Excurrit deinde in aliud vasto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellaverunt, alii magnum, multi Olyponense ab oppido Promontorii excusum L. X. M. prodidere, alii X C. M. pas.* Ad Pyrenæum inde non pauci X I I. L. millia. Et ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifesto errore & quæ sequuntur. Oporteretq; tunc, & Solinum, & Capellam in iam corruptos Plinii libros incidisse cautificari.

Quod nescio an euinci posset. Quare per me quidem autographis libris illis, & Pintiano habeatur sane gratia Plinianum erratum sedulo amolientibus; sed recepta lectione, cum isthac magni viri labecula contenti simus, neque eius sententiae vim faciamus.

Cæterum quæ de Lusitania sequuntur, nos nostro Matte, diligentiaq; emaculauius, reddemusque suo cuiusque rei loco rationem.

## Plini libri IIII. CAPVT XXI.

**A** Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Præsuri. Flumen Vacca. Oppidum Talabriga. Oppidum, & flumen AEminium. Oppida Conimbrica, Collipo. Eburobritium. Excurrit deinde in aliud vasto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellauere alii magnum, multi Olisponense ab oppido, terras, maria, cælum disterminans. Illo finitur Hispanie latus, & à circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanusq; Gallicus, occasus illinc, & Oceanus Atlanticus. Promontorii excusum L X. M. prodidere, alii X C. M. pas. Ad Pyrenæum inde, non pauci XIII. L. millia, & ibi gentem Artabrum quæ nunquam fuit, manifesto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, litteris permutatis.

Erratum & in annib; inclytis. Ab Minio, quem supra diximus CC. M. pas. ut auctor est Varro, abest AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limeam vocant obliuionis antiquis dictus, multumq; fabulosus. Ab Durio Tagus, CC. M. passuum interueniente Munda. Tagus auriferis arenis celebratur. Ab eo CLX. M. pas. promontorium sacrum è media prope Hispanie fronte profilit XIII. M. pas. inde ad Pyrenæum medium colligi Varro tradit. Ab Ana vero, quo Lusitaniam à Bætica discreuimus, CXXI. M. pas. A. Gadibus CII. M. pas. additis, Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.

Ab Ana ad sacrum Lusitani, oppida memorabilia à Tago: in ora Olyssippo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata urbs imperatoria, Merobriga, Promontorium sacrum, & alterum Duneus. Oppida, Ossonoba, Balsa, Myrtilis. Vniuersa prouincia dividitur in conuentus treis, 20 Emeritensem, Pacensem, & Scallabitananum. Tota populorum XLV. in quibus Coloniae sunt quinque, municipium ciuium Romanorum unum, Latii antiquitria, stipendaria XXXVI. Coloniae, Augusta Emerita, Ana fluo adposita, Metallinensis. Pacensis, Norbensis, Cæsariana cognomine. Contributa sunt in eam Castra Iulia, Castra Catilicia. Quinta est Scallabia, quæ præsidium Iulum vocatur. municipium ciuium Romanorum Olyssippo, felicitas Iulia cognominatum. Oppida veteris Latii Ebora, quod item liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia, quæ diximus. Stipendiariorum, quos nominare non pigeat, præter iam dictos in Bæticæ cognominibus, Augustobrigenses, Amaienses, Aranditani, Aræbrigenses, Balsenses, Caesarobrigenses, Caperenses, Caurienses, Colarni, Cilibitani, Concordienses, qui & Boccori, Interansenses, Lancienses, Merobrigenses, qui Celtici cognominantur, Meidubrigenses, qui Plumbarii, Ocellenses, qui & Lancienses, Turduli, qui Barduli, & Tapiro. Lusitaniam cum Asturia, & Callaciam patere longitudine DXL. M. pas. latitudine D. XXXVI. M. Agrrippa prodidit. Omnes autem Hispanie à dubbus Pyrenæi promontoriis per maria totius oræ circuitu p. XXIX. m. colligere existimantur. Ab aliis XXVII.

Ethic terminari caput de Lusitania, iam pridem in Vincentii mei scholiis admonui.

**N**ON videbimus à scopo digredi, si nostri quoque æui Lusitanæ terminos exponamus. Quamquam hi magis regni totius, quam vnius Lusitanæ dicendi sunt. Protenditur enī regnum ultra Durium à septentrione, Callaicas continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium Miniumq; montesq; Iuresum, atq; Maranum clauduntur, sed qui ultra eos monteis per Aquiflauenseis, Tamacanos, & reliquos, qui ad Bracaraugustanum pertinent conuentum. Et deinceps per aliquot Asturum olim populos ascendit usque ad Saborem fluuium, oppidumque Sotellum. Vnde resistens conuertitur limes ad orientem per Mirandam urbem ex aduerso Zamore Durio impositam, vbi introrsus ad septentrionem curuatur amnis, excipitq; Estulam fluuium è Legionensi agro defluentem. Ex eaque urbe prono flumine descendit flexu modico usq; ad Fraxinum. Heinc per Transcudanorum, Vettonumq; aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Saluaterram; rursumq; reducit maiore interius angulo ad Tagi ingressum: à quo recto iterum limite procedit, donec paulo supra Ougellam oppidum ad Anam se inclinat, per Caiæ, & Caialæ confluenteis quatuor circiter passuum millibus à Badioza insigni Bæticæ prouinciae urbe Anæ ipsi adposita.

Traiesto inde flumine ad austrum versus, ex Bæticis Celticis, qui Lusitaniam attingunt, oppida complectitur memorabilia, Oliuentiam, Moronem, Maurum, Serpam, non longe ab amne dñsita, & Mortiganum, ac Noudar castella magis in Bæticam penetrantia, ad fonteis usque Ardillæ, & Xanthiæ non magni nominis fluuiorum, præter vicos ignobilis quosdam. Atque hæc, quam circumscriptissimus, regio saceruli nostri more Portugaliæ regnum appellatur.

Ratio petenda est ex iis, quenupera ad Kebedium super ea re prolixè respondimus. Id totū, quod Portugaliam dicimus, Lusitanæ propriæ ac veræ partes duas continent, & ex Tarraconensi prouincia Bracaros, vitraq; monteis Maranum, atq; Iuresum, Asturum nonnullos, & aliquot ex Vettonibus, accessionemq; ultra Anam, quæ diximus.

Quod si à maiori portione uno id nomine Lusitaniam appellemus, erit hodie Lusitania à

fneridie quidē, & septentrione longior non paulo, & auctior, ab Oriente vero propter Vētones fere omneis à nostris separatos aliquanto vetere angustior.

Eam ergo, quæ proprie dicta *Lusitania* est inter Durium atque Anam fluvios, incolunt gentes, *Lusitani* peculiariter vocati, Turdetani, Celtici, Turduli, Vettones, Barbarii, Pæsuri, Turduli veteres. Quorum limites atque confinia exacte discriminare nequam possumus, in tantis antiquarum rerum tenebris, & inter mutuo se collidentia scriptorum testimonia. Numeris Ptolemæi per se rei maxime corruptioni obnoxiae, nemo quidquam se astringat. Qui si perseverarent integri vti ab illo notati sunt, fidem integrum adhuc non facerent, cum is eos numeros, non additis locis, sed relationi acceptis, subnotari. in quo labi potuit facilime. Depictæ autem tabellæ, atq; illi adiectæ plura habent, quæ reiicias, & adspernere, quam quibus credere merito vel debeas, vel possis.

#### D E T V R D E T A N I S.

**A** B Ana igitur ad sacrum Promontorium, circumque *Turdetanos* alios à Bæticis Ptolemaeus habitare ait, maritimasque illorum vrbeis, Balsam, Ossolobam, ante promontorium; deinde post fluuii *Callipodis* eruptiones Salaciam, atque *Cætobrigam*. Intus autem Pacem Iuliam, ac Iuliam Myrtilim enumerat. Strabo regionem eam Celticis, & *Lusitanorum* plerisque tribuit, sicut diximus in epistola pro *Colonia Pacensi* ad *Vasæum*. Plinius omisſis *Turdetanis*, ab Ana ad Sacrum *Lusitanos* ponit, nimirum ad genus respiciens, non ad speciem, cuius Ptolemaeus rationem habuit. Sed tamen horum *Turdetanorum* terminos nimis extendit. Tribuit enim illis non modo Algarbii regnum, & totum Orichensem tractum, sed etiam aliquanto amplius ex Celticis, & *Lusitanis* Strabonis, videlicet Pacem Iuliam, Salaciam, atque *Cætobrigam*, olim in sinu Salaciensi positam, dirutam modo, sed multa pristinæ frequenter vestigia retinehentem; de qua suo dicetur loco.

#### D E C E L T I C I S.

**C**ONTIGVI his sunt atque intermixti *Celtici*, Galica natio, iuxta Anam late usque ad *Turdulos*, & *Vettones* multis ciuitatibus effusi; inter quas etiam nostro ævo *Heluae* clarae sunt, ipso nomine originem præ se ferentes. Parentes fuerunt hi non solum *Celticorum*, qui *Nerium Callæciæ* promontorium infedere, cuique nomen dedere, verum etiam eorum *Celticorum*, qui ad alteram Anæ ripam migrantes, in Bæturia Bæticæ parte vrbeis condidere. De prioribus illis refert Strabo hisce verbis: *Extremi incolunt Artabri circa promontorium, quod Nerium vocatur, quod & occidui, & septentrionalis terminus est lateris. Circumhabitant ipsum Celtici consanguinei eorum, qui ad Anam sunt. Hos etenim, & Turdulos socii armis exercitum cum duxissent, ibi post Lemii fluminis transitum seditionem egisse ferunt, in eaque seditione facta ducis amissione, palanteis, ac dissipatis ibidem remansisse, & ab iis fluum obliuionis esse dictum.*

De alteris his Plinius lib. 3. cap. 1. *Quæ autem regio à Bæti ad flumum Anam tendit, extra prædicta Bæturia appellatur, in duas dinisa partes, totidemque genteis, Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispanis conuentus, Turdulos, qui Lusitaniam & Tarraconensem adcolunt, iura Cordubam petunt. Celticos à Celtis ex Lusitania aduenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur. Diximus de hoc quoque satis in epistola ad *Vasæum* pro *Pacensi* Colonia.*

#### D E T V R D V L I S.

**T**VRDVL sequuntur, gens per Hispaniam ulteriorem late diffusa. Nam & Bæticæ partem tenuere, quorum metropolis erat *Corduba*; & *Lusitanæ* portionem iuxta *Vettones*, & maritimam omnem regionem à *Tago* usque ad *Durium*, ex iis quidam *Veteres* appellati sunt; de quibus postea. Quorum meminisse modo conuenit, ii sunt, qui à *Turdulis* Bæticis amne Ana discreti erant, de quibus Plinius in capite de *Lusitania*: *Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.*

Hoc præter eundum nequaquam est. fuisse, qui *Turdulos*, ac *Turdetanos* eosdem attribarentur. E quibus *Liuium* nominare fuerit satis libro quarto quartæ decadis in hæc verba: *Fama deinde vulgatur, Cos. in Turdetaniam exercitum ducturum. & post: Interim P. Manlius prætor exercitu veterè à 2. Minutio, cui successerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudi Neronis ex ulteriore Hispania, veterè item exercitu in Turdetaniam proficisciatur. Omnia Hispanorum maxime imbellis habentur Turdetani, freti tamen multitudine sua, obuiam ierunt agmini Romano.*

*Nec tamen ea pugna debellatum est; decem millia Celiberum mercede Turduli conducunt, alienisque armis parabant bellum. Deinde dum Cos. exercitusq; Turdulo bello est occupatus, ubi cernere*

cernere licet terram Turdetaniam dictam, incolas, cum Turdetanos, tum etiam *Turdulos* appellatos, bellum quoque *Turdulum*. Strabo autem horum subscribens opinioni diuersam etiam non tacuit: *Regionem, ipsam à flumine Baeticam vocant, ab incolis autē Turdetaniam.* *Incolas vero ipsos Turdetanos, & Turdulos appellant.* *Quidam autem eosdem esse existimant; alii vero diuersos: è quibus etiam est Polybius qui Turdetanis finitimos ad septentrionem dicit esse Turdulos.* *Verum tempestate hac nulla inter ipsos appetet distinctio.*

Mihi non contigit eum Polybii locum expendere, cum praeferre quinq; eius libros Graece, & à Nicolao Perotto Episcopo Sipontino latine versos, ad hoc tempus nihil viderim: sed fidei Straboni habeo, & Polybium vere sensisse arbitror, etiam si Liuius, & alii eos propter vicinitatem confundant. Si quidem Ptolemæus distincte Turdulos alias à Turdetanis facit in ipsa Baetica: nam in Lusitania Turdetanorum tantum meminit, ut superius ex posuimus, *Turdulos* prætermisit. E contrario Plinius de *Turdetano* in *Lusitania* nullum verbum, *Turdulos* posuit geminos, videlicet hos *Anæ* contiguos, & alteros Veteres vocatos de quibus postea.

## DE VETTONIBVS ET VECTONIBVS.

**V**ETTONES inter *Lusitanie* populos circa Tagum recenset Plinius, ita scribens: *Ab Ana vero, quo Lusitania à Baetica discernimus gentes Celtici, Turdici, & circa Tagum Vettones. Disoluamus, si possumus, nodum hīc, superius obiter tactum, cum de Lusitania terminis agebamus, vbi ex Strabonis sententia *Vettones Lusitania* exclusimus: atque de scriptura vel nominis orthographia quiescamus tantisper, dum cetera examinamus. Conferat diligens lector quæ Strabo dicit: Oretani maxime vergunt ad meridiem, peruenientes usq; ad maritimam, aliqua ex parte intra columnas. Post quos Carpetani declinant ad aquilonem. Inde Vettones, & Vaccei, per quos Durius labitur.*

Et paulo post, vbi Lusitaniam ab aurora cingi ait *Vettonibus, Vacceis, & Callæcis,* conferat, inquam, hæc cum Plinii verbis lib. 3. c. 3. *Primi in ora sunt Bastuli, post eos, quo dicetur ordine, intus recedentes Mentesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccae, Vectones, & Celiberi.*

Libro item quarto c. 10. *Durius amnis ex maximis Hispania, ortus in Pelandonibus, & iuxta Numantium, lapsus per Areuacos. Vaccæosq; disternatis ab Asturia Vectonibus, à Lusitania Callecis, ibi quoque Turdulos ab Bracaris arcens. & collatis inter se altrinsecus vtriusque verbis, videbit vrsumq; de Hispania citeriore loqui Vectonesq; extra Lusitaniam ponere, sicut & Cæsar fecit in primo belli ciuilis commentario. Afranius, & Petreius, inquit, & Varro, legati Pompeii, quorum unus tribus legionibus Hispaniam citeriorem, alter à saltu Gætulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vectonum agrum, Lusitaniamq; pari numero legionum obtinebat, officia inter se partiuntur: ut Petreius ex Lusitania per Vectones cū omnibus copiis ad Afranium proficiscatur.*

Et post: *Petreius per Vectones ad Afranium peruenit. Extra Lusitaniam ergo Vectones erant. Atqui Ptolemæus ex Lusitanis hos maxime orientales facit: interq; eorum ciuitates ex nostra estate notis Salmanticam, Caparam, atq; Obilam ponit. Plinius etiam in Lusitanie de scriptione, & circa Tagum, inquit, Vettones. Quærendum igitur, sintne iidem isti Vectones seu Vettones, an diuersi, & an constent sibi auctores, anne secus.*

*Durius, inquit Plinius, lapsus per Areuacos, Vaccæosq; disternatis ab Asturia Vectonibus, à Lusitania Callecis. Qualis hæc partitio est, disternatis ab Asturia Vectonibus, à Lusitania Callecis, si Vectones isto loco positi Lusitani ex Ptolemaeo sunt? Qualis & illa, Et circa Tagum Vettones? si circa Tagum, non ergo ii sunt, qui Durio interflente ab Asturibus dirimuntur, quique ab eodem ipso Plinio in Citeriori Hispania iuxta Vaccæos collocantur. Si vero ii sunt, minus apte dictum est, & circa Tagum Vettones, cum magis ex re & que breuiter dici potuisset, & à Tago ad Durium Vettones. Sed tunc, quinam illi essent Vectones non Lusitani, ab Asturia amne Durio disternati?*

Paulo expressius rem indagemus, eruamusq; qui sint isti post Vaccæos Durio ab Asturibus disternati. Percurrat qui velit, in Hispaniæ pictura Durii cursum usque ex Numantia Pelandonum vrbe, per Areuacos, & eorum vrbeis Vxamam, Saguntiam, Cluniam, & reliquas à Plinio commemoratas. Tum vbi se Areua eorum nominis causa, & origo Durio miscet. Deinde à Pisoraca fluuio Vaccæos, eorumq; ciuitates Pallantiam, Caucam, & illis à Ptolemaeo tributas Pintiam, & Sarabrim, & Senticam; quarum Sentica, quæ Zama existimatur, vicina fluminis angulo est, vbi Estulam fluuium Asturum Durius excipit iuxta Mirandam, cuius in Lusitanie descriptione meminimus.

*Vectones* modo istos iis conterminos, ac Durio ab Asturibus disternatos quæramus. Nulli apparent, nisi qui ab illo, quem dixi, Durii angulo introrsus cuneato, per meri-

dianum fluuii latus ad Carpetanos porriguntur. Siquidem ii à Mirandensibus, qui olim in Asturum validæ gentis ditione fuere, fluuiio medio secesserunt. At qui hi sunt, quos Ptolemæus maxime Orientaleis Lusitanorum dixit, in quibus Salmanticam, Obilam, & Caperam posuit, ut tractus, per quem meat in Durium Tormis, qui Salmanticam alluit, Vettorum sit, Vaccæis ut offendimus finitimorum.

Hic etiam, qui & à Strabone, & à Plinio in Hispania citeriori nominantur. Sed hiquid ad Vettones Plinii circa Tagum, interstitio clx. millium passuum, quæ à Durii iuxta Vaccæos ripa ad Tagum numerantur? Eousq; Vettones extendebantur, inquiet aliquis. Non omnino id præter rationem. Strabo enim Tagi narrans originem, ait: *Ex Celtiberis autem originem habens, per Vettones, & Carpetanos, & Lusitanos in aquinoctialem labitur occasum aliquantis per spacio pari ab Ana, & Batifluuiis distans.* Sed impedimento est, qui cum Vettorum suorum urbeis, Salmanticam, Obilam, & Caperam (ut has solas exempli gratia nominem) diligenter recensuerit, inde ad Tagum, imo etiam ad Anam, ingentem quasi lacunam inter medium, non iam Vettibus, sed Lusitanis proprie ita vocatis oppleuit, Cauro, Norba, Colarno, circa Tagum, aut non longe ab eo sitis, & Emerita ipsa Vettorum, ut dicam postea, metropoli nominatis.

Quid ergo? duæ ne istæ sunt gentes, altera *Lusitana*, altera nequaquam, sed ad citeriorum pertinens Hispaniam, ambæ nominis similitudine congruentes, an tantum una? Duas esse asseuerare ego non audeo, sed auctorum varietate, & vnius in scriptura litteræ differentia certe appetet. Omitto Strabonem, cuius in hoc nomine codices mire ludunt, ipsiusne, an scribarum culpa nescio. Modo enim sunt *Ovettones*, modo *Vuettones*, modo *Ovetiones*. Latinorum codices expendamus: vtrobique enim per et nomini gentis huius apud Plinium scribitur, cum de citeriori loquitur prouincia; sic apud Cæsarem commentario superius citato; sic apud Liuum in quinto quartæ decadis libro, vbi M. Fuluium cum iis, atq; Vaccæis, & Celtiberis refert dimicasse; apud Lucanum similiter, atq; Silium, quorum verba mox referam. At isti *Lusitanæ* circa Tagum *Vettones* geminato tt scribuntur, vt apud ipsum Plinium ibidem liquet, & in multis saxeis inscriptionibus inueni. quarum duas in libello ad Kebedium Toletanum canonicum nuper posui. nec pigebit modo repetere, etiamsi nimium videatur, quandoquidem hic locus maxime id exposcere mihi videtur. Eboraæ ingens in ædibus meis cippus ita habet.

L. VOCONIO. L. F. QVIR. PAVLLO AED. Q. IL. VIR. VI.  
FLAM. ROM. DIVOR. ET. AVGG. PRÆF. COH. I. LVSIT.  
ET COH. I. VETTONVM.

Id est,

*L. Voconio Lucii filio Quirina Paulo AEdili questori duumuiro sextum flaminis Roma diuorum,  
& Augustorum præfecto cohortis prima Lusitanorum, & cohortis prima Vettorum.  
Emeritæ autem in domo Petri Mexiæ, sic.*

P. AELIO. VITALI AVG. LIB. TABVL. PROVINC. LVSITA-  
NIÆ ET VETTONIÆ. STEPHANVS. LIB. ET. HERES. PA-  
TRONO. FECIT.

Hoc est,

*Publio Aelio Vitali Augusto liberto tabulario prouincie Lusitanæ & Vettoneæ, Stephanus li-  
bertus, & heres patrono fecit.*

Sagunti in cœnobio sanctæ Trinitatis.

SERGIÆ. M. F. PEREGRINÆ. M. SERGIUS VETTO.  
AMITÆ.

Hoc est,

*Sergia Marci filia peregrina, Marcus Sergius Vetto amita.*

In pago Oliua ex ruinis Caperensibus.

L. PVBLICIVS. L. F. PAP. THIAMVS. EMERIT. ANN. XXVII.  
H. S. E. S. T. T. L. CÆCILIVS VETTO. SODALI CIP-  
PVM. D. S. D.

Hoc est,

*Lucius Publicius, Lucii filius Papiria Thiamus Emeritus annorum viginti septem hic situs est.  
Sit tibi terra leuis. Cecilius Vetto sodali cippum de suo dedicauit.*

In eodem pago aliis lapis.

L. DOMITIVS T. F. GAL. VETTO. OTO BESANI. M. S. E. S.  
T. T. L. DOMITIVS FORTVNAT. PATRONO. D. S. I.

Hoc

Hoc est,

*Lucius Domitius Titi filius Galeria Vetto Otobesani hic situs est sit tibi terra leuis, Domitius Formunatus patrono de suo fecit.*

Ptolemaeus etiam duplicitate hos *Lusitanos Vettones* scribit *Ouettones*. Est & alia differentia nam illi *Vettones* citerioris prouinciae medium syllabam productam habent: ut ostendunt duo summi poetæ *Lucanus*, & *Silius ille Pharsalia* lib. 4. ita canens:

*His præter Latias acies erat impiger Astur,  
Vettonesq; leues, profugiq; à gente vetusta  
Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis.*

¶ Hic autem lib. 16. de Peloro equo in hunc modum.

Campis

*Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.*

*Vettones* vero *Lusitani* iuncti *Turdulis* ad *Tagum*, ac duplicitate scripti, eandem syllabam breuem habere compriuntur ex ipso *Vettonia* nomine apud Prudentium in *Diua Eulalia* clara colonia *Vettonia*. Cum quo facit & Sammonicus *Serenus de Vettonica herba*, quam à *Vettonibus* inuentam in Hispania dicit Plinius.

*Vettonica mansus siccabit lumina succus.*

Dioscorides *Bettonicam* appellatam à Romanis ait, cum *Kestron* appellant Græci. Breuem itaq; syllabam eam comprimimus: vnde colligi videtur, gentem aliam esse *Vettones*, aliam, *Vectones*. Quæ si opinio recipitur, integra manebit cum *Cæsar*, tum *Strabon*, tum etiam *Plinii* auctoritas, *Vectones* à *Lusitania* separantum. Scriptura tamen *Straboniani* codicis emendanda erit, vt vbi *Ouettones*, vel *Vuettones*, vel *Ouettones*, scriptū est, reponatur *Vettones*. Verum vacillabit tunc Ptolemaei descriptio, qui *Vettones* cū *Vectonibus* nominum similitudine videbitur confusisse, terminumq; *Lusitania* orientalem partibus nouem cum semisse, & quadraginta & vna, ac fere besse definiens; hoc est per *Sarabrin Vaccæ* orum urbem, quam *Taurum nostræ ætatis* docti existimant, ducta linea usq; ad *Metallinense* oppidum, olim *coloniam*, pauloue supra. Sin vero opinio, vti nova, explodatur, doceat me aliquis, quinam sint *Vettones* *Durio* ab *Asturia* determinati, apud *Plinium*, & qui ab oriente vna cum *Carpetanis*, *Vaccæ*, & *Callæcis* *Lusitaniam* cingant, apud *Strabonem*, & cur Ptolemaeus, *Vettonibus* circa *Tagum* omisssis, illorum tantum, qui *Durio* ab *Asturia* destinentur, & usq; ad *Caperam* sunt, mentionem fecerit.

Si ab ea perplexitate extricari possemus, diffusis partim per citeriore Hispaniam iuxta *Carpetanos*, & *Vaccæos* *Vettonibus*, *Durium* ex aduerso *Asturum* adcolentibus partim circa *Tagum* iuxta *Turdulos*, aut ita suppressis *Turdulis*, vt *Vettonum* excelleret nomen usq; ad *Anam*, vnde *Emerita Vettonum* clara colonia à sanctissimo, eodemq; doctissimo Prudentio vocata sit; iuberem equidem omnes *Cæsar*, *Liuui*, *Strabon*, *Lucani*, *Silii*, ac *Plinii* emendare locos, in quibus per litteras & scripti sunt, & ad duplex ut omnes reducerē, & illos, qui ab *Asturibus* *Durio* secernuntur, *Lusitania* cum *Plinio* excluderem, terminumq; *Lusitania* Orientalem non tam intus ad citeriore Hispaniam limitarem, sed à *Duri* secundo flexu, quæ supra ad *Fraxinum* notaui, hoc est à loco vbi *Tormis Salmanticensem* fluuius in *Durium* se condit, & amnis recto iam alueo hodiernam *Lusitaniam* ingreditur, eamq; diuidit à *Callæcis Bracaris*, vt auctor est *Plinius*, inde per *Rodericopolin*, *Placentiam*, & *Castra Julia* ad *Metallinense* opidum, pauloue supra lineam dirigetem.

Quod autem ad syllabæ mensuram attinet, aut Prudentio, Serenoque minus fiderem, aut, si iniurium hoc est, ancipitem eam dicere, vt permultas obseruarunt grammatici, apud poetas, quod instituti nostri modo non est. Hæceremus tamen rursus propter Ptolemaeum, quilongius, ac penitus à septentrionali capite *Lusitaniam* extendit, *Plinio* homine *Rotmatio*, cui non credere durum est, aperte reclamante.

Usque adeo verum est, quod ipse ait *Plinius* in fine primi cap. lib. 3. *alibi mutato prouinciarum modo, alibi atius aliunde exordium mensura capientibus, factum esse, vt nulli duo concinuant*. Concludamus igitur, *Vettones*, vel alios esse à *Vectonibus*, vel si iidem sunt, quod magis probamus, per geminum ut debere scribi: nec omnes ad *Lusitaniam* pertinere, sed magnam eorum partem per citerioris Hispanæ finitimos *Carpetanos*, atque *Vaccæos* ad *Asturea* usque diffundi, quo illos à *Lusitania* se iungunt *Strabo*, atque *Plinius*, licet non se iungit Ptolemaeus: partem alteram *Lusitanis* coluisse, protenso etiam usque ad *Anam* nomine, & cum ceteris *Lusitanis* prouinciam vnam coluisse: nouissime tandem per se prouinciam effecisse *Vettoniam*, cuius caput, ac metropolis eslet *Augusta Emerita*, alioqui in *Turdulis* sita: vnde eam sacer *Prudentius* claram *Vettonia* coloniam appellat, cum tamen eandem alibi, diuersa respiciens tempora, *Lusitanorum* caput oppidorum

dixit. Factam vero *Vettoniam* per se prouinciam, ex eoque tempore cœpisse *Vettonians*, & *Vettones* séparatim à *Lusitanis* scribi, in libello ad Kebedium nuper ostendimus, & ex inscriptionibus paulo ante relatis comprobatur.

## DE BARBARIIS.

**L**ONGE minus negotii nobis exhibebunt *Barbarii*, cum propter obscuritatem gentis, tum propter situm, & eorum sedes ambiguitate nulla confusa, à promontorio ex ipso rum nomine vocato usque ad sinum Olyssiponensem. Sed de promontorio postea: de nomine propter nouitatem disquiram aliquantulum. Mihi nonnumquam subiit cogitare, cur mons, quem *Rabidam* vocamus, *Barbarius* dicatur, & populi circa eum *Barbarii*, omis-<sup>10</sup>sa *Floriani Campensis* ignominiosæ appellationis fabula, ad morum asperitatem denominationem torquentis. Mei autem instituti non est historias per figmenta concinnare. Neque enim *Barbari* vocantur, sed *Barbarii*, ut docet Strabo libro tertio de stanno loquens, quod generari dicit in *Barbariis* supra *Lusitanos*, & in *Cassiteris* insulis, & è Britannis Massiliam deferri: & eodem libro promontorium *Barbarium* nominat: quo etiam nomine Ptolomeus utitur.

A Barbaro autem, cum ad ingenium refertur, *Barbaricus*, non *Barbarius* deriuatur. Veni igitur in hanc cogitationem: montis huius omnes rupes iaspides sunt, inueniunturq; inter eas iaspides albi, purpurei, virides, varii, ac multi colores, splendore mirabili. Cauduntur inde columnæ, postes, & similia, quæ ubi accedit politio translucent in tantum, ut <sup>20</sup> speculorum vicem & præbeant, & vincant. At vero terrenum laudatissimo abundat cœcæ, Emeritensi, quod laudat Plinius, nullo modo cedente. Ex quo tingunt infectores vestem, quam scarlatam, vel granam nostri homines appellant, videlicet à granis, quæ in frumentis toto eo tractu nascentur, sicut veteres à vermiculo in iisdem granis innato blattæ simili, vermicularam vestem dixerunt, quam recentiores blattæ, coccineam vel purpuream volentes significare: etsi hæ distinctionem capiunt.

Nam purpurea proprie ex sanguine purpurarum, conchyliorumque fit: coccinea vero ex ipso quod dixi, coeco. Hinc Suetonius in Neronis luxuriam inuestitus, *aureo reti, & funib; purpura coccoz, nexus piscatum* eum criminatur, Quod recentiori verbo, *blattæ funibus*, dicit Eutropius. Multumq; usi sunt ea voce illius æui scriptores. Ac propter eminentis coloris in vtrisq; similitudinem cœperunt ista confundi. Ostendam hoc ex Sidonio Apollinari, non contemnendo poeta, in hoc Anacreontico monstrose deprauato: nostraque opera, sicut cetera eius auctoris scripta, restituto.

40

*Rutilum thoreuma bisso,*  
*Rutilusque ferte blattas,*  
*Recoquente quas abeno*  
*Mælibæa fucat unda,*  
*Opulentet ut meraco*  
*Bibulum colore vellus,*  
*Peregrina det suppellex*  
*Cteiphontis, & Niphatis*  
*Iuga texta, Belluasq;*  
*Rapidas vacante pano:*  
*Acuit quibus furorem*  
*Bene ficta plaga coeco,*  
*Iaculoque cen forante*  
*Cruor incuruentus exit.*

In quibus carminibus aperte confundit blattam, purpuram, & coccum. Melibœa namque purpura ex conchis est, ut ostendit Lucretius lib. 2.

50

*Iam tibi Barbaricae uestes, Melibœaque fulgens*  
*Purpura, Thessalico concharum tecta colore.*

Vbi etiam aduertendum, quas uestes barbaricas dixit Lucretius, peregrinam supellectilem dixisse Apollinarem. Redeamus iam ad institutum. Vestium purpura, coeco, vermiculo, quæ à barbaris terris, id est peregrinis, adlata erant, infectores, *Barbaricarii* appellari cœperunt, ut patet. C. de excusationibus artificum & de palatinis sac. larg. quod etiam adnotauit Alciatus in treis posteriores libros Codicis. Marianus Scotus in tit. Magistrorum officiorum, & fabricæ, *Barbarios* eos vocat.

Etenim isthæc nomina in arius finita. hominum fere officia significant, *Sagarius, Caligarius, Limbolarius*, & quæ multa alia apud Plautum in Aulularia bonus ille Megadorus enumera-

enumerat. Sic *Barbaricarius*, & *Barbarius* ad harum rerum officinas, opificesque pertinent. Populi itaque isti, de quibus loquimur, Barbarii appellantur. Cogitabam igitur si forte à coco, quod in magna multitudine colligerent, venderentque negotiatoribus Romanam eam mercem conuecturis, aut forte ipsi baphicæ gnari tingerent, *Barbarii* fuerint nuncupati. verum hæc ariolando. Quare huic meæ coniecturæ addicilectores neque postulo, neque parteis suscepimus periculo istiusmodi appellationum causas, originesque tradendi:

## DE PAESVRIS AVT PAESVRIBVS.

<sup>10</sup> **I**GNOBILES, & obscuri sunt *Pæsuri*, ab unoque auctorum omnium Plinio memorati. Late patentes, an terminis angustis concluderentur & que ignotum. In nobilissimo illo super Tagum ponte ad *Vettonia* oppidum *Alcantaram*, inter cetera prouinciae *Lusitanie* municipia, quæ stipem ad pontem confieendum contulisse memoriarum prodittum ibi est, *Pæsures* ultimi recensentur. Quo sane intelligimus, non longe eos inde esse discretos: simulq; emendandum eorum in codicibus Plinianis nomen à secunda in tertiam inflexionem. De inscriptione vero pontis huius cum vrbeis enarrabimus, tunc agemus.

## DE TVRDVLIS VETERIBVS.

<sup>10</sup> **C**ONTRA autem *Turduli* veteres valde celebres, & parentes omnium *Turdalorum*, qui vltioris Hispanie maximam partem suo nomine repleuerunt. Ab iis enim prodiisse quasi examina *Turdulos*, & in Bætica, & iuxta Anam forsitan & *Turdetanos*: indicio est ipsum veterum cognomentum. cum enim veteres isti sint, reliquos omnes recentiores esse oportet. eorum regionem Plinius à Durio dextrorsus Oceanum versus designat; sinistrus vero ex dictis superiori capite, *Pæsures* Turdulæ subiunctos ab Plinio incolere existimamus. Pomponius, cui in Hispanie rebus multum est merito tribuendum, à Tagi ostio ad Durium eos extendit: *Ab iis inquit, promontoriis ad illam partem, quæ recepit, ingens flexus aperitur, in eoque sunt Turduli veteres, Turdalorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere ultimi promontorii latus effluens, & radices eiusdem abluens Darius.*

## QUALIS GENUS LVSITANI.

**E**XPLICAVIMVS summatim *Lusitaniam* træplici terminorum differentia: à quibusq; populis ante Gotthorum illuusionem, de quibus postea, possessa olim sit, dictum satis.

Exigit ordo, vt qualis nam fuerit ea gens, quibusue moribus, indicemus. Et quidem gentem esse fortem, vt nostra tempora non præoccupemus, antiqui scriptores non tacuerent. Diodorus Siculus omnium Celtiberorum fortissimos esse *Lusitanos* assertus. Quo loco, vt obiter dicamus, aut legendum, omnium Iberorum, aut Diodorus Iberos omnes Celtiberos appellasse, minus apte est existimandus. Sed, cum statim *Lusitanos* galeam, ensimque ferre Celtiberorum more dixerit, absq; dubio à *Celtiberis* eos separat.

<sup>40</sup> Quare magis placet, vt lectio emendetur, legaturque *Omniam Iberorum*. Ceterum ad fortitudinem pertinet, quod Strabo ait, *Lusitaniam annis plurimis Romanorum armis oppugnatam*. Fortitudinem quoque arguit constans, ac grauissimum Decimo Bruto Cinnanensem responsum, quod affert lib. 6. Valerius, neq; sine animi quadam exulcerati, & forte ex inuidia, dolore. *Melius*, inquit, *sine dubio homines nostri sanguinis haec dixissent, quam audissent.* Vt sit tamen veritas scriptorem ita concludere: Sed illos quidem natura in huius grauitatis vestigia deduxit.

Nec ad fortitudinem non pertinet, quod idem Valerius titulo de *vafre* dicit, aut factis commemorat, non potuisse Sertorium *Lusitanos* oratione flectere, ne cum uniuersa Romanorum acie vellent configere, donec vellendis equorum duorum caudis notissimum illud exemplum oculis mirandum obiecit. Vocet Valerius suo libito gentem barbaram, asperam, regi difficilem, his operis probriis parum disciplinæ militaris peritos *Lusitanos* arguerit, imbellis, aut ignauos animos iis minime fuisse eadem illa narratione palam prædicat. Multa Liuius tertia, quarta, & quinta decadibus prælia cum *Lusitanis* varia fortuna commissa refert. Quamquam suspecta scriptorum Romanorum censi fides merito possit. Fere enim eleuant, & attenuant barbarorum, sicuti aiunt, res gestas, suas augent etiam immodice, vitio fortasse priorum.

Diserte Strabo Polybium notauit lib. 3. quod trecentas Celtiberorum vrbeis in Tibe-  
rii Gracchigratiam subuersas ab illo memoria prodiderit. Nam Imperatores, inquit, & re-  
rum gestarum scriptores, ut ornatoria efficiant negotia, ad hoc mentiendi genus feruntur. Antia-  
tem Valerium non semel ipse Liuius perstringit, vt in numero augendo inter imperantem

atque immodicum, & præcipue circa finem lib. sexti tertiae decadis, adeo nullus, inquiens, mentiendi modus est. Ex quo cum pleraq; desumpserit, non mirum si fallat similiter.

Expendatur (vt vnum hoc argumentum verbi causa referam) Publii Cornelii Cnei filii Scipionis proprætoris pugna cum Lusitanis, qui deuastata vltiori Hispania onusti præda domum redibant, narrata in initio quinti libri quartæ decadis. eius ipsius verba recensebo.

Prætor hæc gesserat Scipio. Idem proprætor Lusitanos, deuastata vltiori prouincia, cum ingenti præda domum redeunteis in ipso itinere adgressus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, superior alius. Nam & acie frequenti armatis ad longum, & impeditum turbæ pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hostes. Huic nocturno itineri tres diurnæ horæ acceſſerant, nec vlla data quiete labori via prælium exceperat. Itaq; principio pugnae vigoris aliquid in corporibus, animisque fut. Et turbaverant primo Romanos, deinde æquata paulisper pugna est. In hoc discrimine ludos Ioui si vis fudisset, cecidissetq; hosteis, proprætor voulit. Tandem gradum acrius intulere Romani, cesissetq; Lusitanus: deinde prorsus terga dedit. Et cum insitissent fugientibus victores, ad XII. millia hostium sunt cesa, capiti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & signa militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Romano septuaginta, & tres amissi.

Cui enim, Liui disertissime suspeſtum non sit, in prælio continentium horarum quinque incerto euentu, in quo primo turbatos fuisse ait Romanos, deinde paulisper æquatam pugnam, proprætoremq; in eo discrimine ludos voulisse Ioui, quod sane solent ii, qui de Victoria desperant, duodecim Lusitanorum cecidisse millia, captos quingentos quadraginta, omnes ferme equites; de Romano vero exercitu tantum amissos treis & septuaginta? Aggressus, inquis, est proprætor armatorum frequenti acie longum & impeditum turbæ pecorum agmen, recenti milite fessos longo itinere accipimus, vt merito credantur Romani Lusitanorum multa millia cecidisse. Sed in duodecim milium clade solos treis & septuaginta amississe Romanos, nescio an persuaderas.

Quid enim Romanos turbavit? Quid est post quinq; horarum spatium incerto euentu paulisper æquatam fuisse pugnam? Ab hora tertia diei vsq; ad octauam incerto euentu pugnauit Romanus, deinde æquata paulisper pugna est.

Sitam illæſi in prælio erant Romani, sitam obtusis gladiis, & exhausto vigore Lusitanis, cur horis continentibus quinq; incertus fuit euentus? an non, quia cædebant, & cedebarunt? Quid sibi vult, æquatam fuisse pugnam, nisi eatenus inferiores fuisse Romanos? & persuadebis in tanto discrimine, cum Lusitanorum duodecim millia cæſa fuerint, solos treis & septuaginta de Romano exercitu fuisse amissos?

Sed bene quod itinere longo fessos, & de tertia vigilia egressos, prædaq; longo agmine impeditos, confessus es, parum alioqui fidei habiturus. Non enim gerebatur res cum fugacibus Armeniis, & ventosi Tigranis exercitu, sed cum Lusitanis assuetis pugnare contra Romanos, quorum fortia opera vſus fuerat Hannibal, non modo in Hispania, sed in ipsa etiam Italia, quiq; Luci Æmilii Pauli proprætoris exercitū apud Lyconem oppidum profilarunt, cæſis uno prælio sex Romanorum millibus, ceteris intra vallum compulſis, ac gre castra defendantibus, ac tandem ad modum fugientium magnis itineribus in pacatum agrum reductis. Quod idem testatur Liuius decadis quartæ lib. 7. Vbi etiam aduentant lectors, quam religiose Romanorum fugam scriptor facundissimus obumbret, ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum perductos memorans.

Orosius certe L. Æmilius cum vniuerso exercitu cæſum interiisse dicit lib. 4. c. 20. de quo alibi diffusius, & cap. 21. Sergium Galbam prætorem à Lusitanis magno prælio vicitum, vniuerso exercitu amissio, cum paucis vix elapsum euafisse narrat. Ex qua ignominia cum se postea vlcisci Galba statuisset, Lusitanos, qui citra Tagum habitabant, sponte sua se dedentes ad colloquium vocauit, simulans de eorum se commodis aucturum. Sed circumpositis militibus, inermes, atque incautos per scelus maximum omneis profigauit. Quæres, inquit Orosius, postea vniuersa Hispanie propter Romanorum perfidiam causa maximi tumultus fuit.

Trium Lusitanie ciuitatum conuocato populo, vt scribit Valerius Maximus libro nono titulo de perfidia, nouem millia, in quibus flos inuentutis consistebat, partim trucidauit, partim vendidit.

Accusauit acriter M. Cato Sergium Galbam pro imperfectis contra interposam fidem Lusitanis, vt testatur in Bruto M. Tullius, & obiter in Diuinatione, quod explicat latiusculle Asconius Pedianus, & Liuii epitome lib. 49. & idem Valerius Max. lib. 8. cap. 1.

Nonagesimum autem ætatis annum agebat Cato, cum Galbam accusauit, teste Liuius, decadis 4. lib. 9.

Ab Orosio non discedamus. Is ex Claudio narrat, trecētos Lusitanos cū mille Romanis pugnam

pugnam commisisse: in qua septuaginta Lusitani, Romani autem trecentum viginti ceciderint. Cumq; victores sparsi iam, atq; securi abiissent, vnumq; ex illis longe à ceteris segregatus maneret, à circumfusis equitibus pedes ipse est deprehensus: ille tamen vnius eorum equo lancea perfozzo, ipsius equitis uno gladii iectu caput desecuit. Quo facto, ita omnis metu percussit, ut prospectantibus cunctis ipse contemptus atque ociosus abscederet.

Suppeterent nobis similia fortitudinis exempla, si modestius sua extulissent Romani. Nos autem cum rerum nostrarum scriptores alios non habeamus, ex iis, siue aequis, siue ini quis cogimur accipere, quantum illis prodere de nobis fuit libitum. Nonnumquam tamen veritas excidit imprudentibus.

<sup>10</sup> *A Gallis, & à Lusitanis Romanos per arma grauiter vexatos ait Iulius obsequens cap. decimo quinto de prodigiis, & cap. 40. à Lusitanis exercitum Romanum cæsum. Florus lib. 2. c. 17. Tota certaminum moles cum Lusitanis fuit, & Numantinis, neque immerito, quippe solus gentium duces contigerunt. Ex quibus verbis perspicuum fit. duces magnum ad victoriam afferre momentum: quos cum semper haberent Romani, non mirum, si turbam hominum sine duce incompositam vincerent.*

At quoties duces contingebant militaris rei non ignari, non tantum se iactabant Romani. Esto iudicium vel Lusitanis Viriatus, si fortuna cessisset, Hispaniē Romulus, ut idem scribit Florus, vel Sertorius. Facetus est Iustinus lib. vlt. In tanta saeculorum serie nullus illis duces magnus prater Viriatum fuit, qui annos decem varia Victoria Romanos fatigauit. Adeo feris <sup>20</sup> quam hominibus propiora sunt ingenia. Quæsto te, Iustine, cur feris quam hominibus propiora dicis nostrorum ingenia? Quia annos decem Romanos varia Victoria fatigauerunt? Quid? Romanorum, cum Lusitanos variis fatigabant victoriis, ingenia diis credo quam hominibus propiora existimares. Est ne, an minime, quod superius dixi, Latinos scriptores semper ut potuerunt nostra detrectasse? Sed de fortitudine isthac sufficient.

Mores Strabo, quales suo tempore accepérat, diligenter annotauit; neque tunc quidem malos, neque modo nobis erubescendos. Quorum multi cum religione mutati sunt, multietiam perseverant. Ex iis exponam aliquos.

<sup>30</sup> *Quod insidiatores eos dixit, nemo in peiorum partem accipiāt. Militare enim vocabulum est, ut admonuit Iulius Pollux capite 10. Cicero ea re Q. Fabium Maximum laudat libro de officiis primo. Callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex nostris ducibus, Q. Maximum accepimus, facile cælare, tacere, dissimulare, insidiari, præcipere hostium consilia. Quod ad Lusitanos attinet, Dion Herminii montis incolas Cæsari insidias parasse ait.*

*Pugio lateri adhæret. Pugionum usus Hispaniæ antiquissimus, qui me puerō in magno honore viris adhuc erat, paulatim defluxit ad sicas, quibus etiam impuberes ante nimis properum ensium usum sapere in suam perniciem, & parentum orbitatem armantur.*

*Vix quisq; plurafert iacula. Callaicorum, & Bracarorum etiam nunc pleriq; ex plebe id seruant, cum ad agros egrediuntur, bina ferentes iacula, & quidem amentata.*

<sup>40</sup> *Quidam & vtuntur hastilibus. Transtaganorum mos hic est, etiam pedibus euntium, lancesланas extra urbem gestare. Equitibus habiliores sunt.*

*Aqua potores. Id ad nostram ætatem etiam magna ex parte durat, præsertim inter nobiles. Certe pueri citra pubertatem abstemii generatum sunt. Regibus, ac Principibus nostris Iemnis est vini abstinentia.*

Ceterum, *Spartano ritu degere Lusitanos, & Græco more Hecatombas facere, gymnica certamina exercere, quæque sequuntur, omnia eo pertinent, ut Græcam Lusitanorum originem ostendant. Cetera possunt, qui velint ex ipso Strabone petere.*

<sup>50</sup> *Leui armatura uti Lusitanos, primo belli ciuilis commentario Cæsar asserit. Grauiorem, & quæ Panoplia vocatur, à Romanis Gallis, atque Germanis accepere. Cetratos pugnare pedites, & Cæsar, Liuius, & Silius, & pleriq; alii attestantur.*

*Prosequamur & illam Callicie partem, quam annexam Lusitanis supra memorauimus, videlicet Bracaros ab urbe gentis nominatos. Vetus hi nomine Gronii dicebantur Pomponio, Plinioq; quamquam in Plinio emendata iam lectio est, & pro Groniis substituti Grauii, ex Silio lib. i.*

*Quig; super Grauios lucentes voluit arenas*

*Inferna populis referens oblinia Lethes.*

*Et libro tertio.*

*Et quos nunc Grauios, violato nomine Graium*

*Oene & misere domus.*

*Plinius quadrifariam partitur, in Helenos, Grauios, Leunos, Seurbos. Adhuc minutius Pto-*

lemæus, in Turdulos, Nemetatos, Cæletinos, Bibalos, Limicos, Gruios, quos alii Grauios, Luangos, Quarquernos, Lubanos, & Narbasos. Sed hæc potius ciuitatum sunt nomina, ut est Aquis Flaviis in columna, de qua suo loco. vbi legitur.

CIVITATES. DECEM  
A Q V I F L A V I E N S E S. A O B R I G E N S.  
B I B A L I. C O E L E R I N I. E Q V A E S I L.  
I N T E R A M I C I. L I M I C I. A E B I S O C.  
Q V A R Q V E R N. T A M A C A N I.

Hoc est,

Ciuitates decem, Aquiflauenses, Aobrigenses, Bibali, Cælerini, Equasili, Interamici, Limici, Ebisoci, Quarquerni, Tamacani.

Pomponius vero uno nomine *Gronios*, seu potius *Grauios* complexus est. Addit Iustinus *Amphilochos*, Græcæ originis. Strabo *Hellenas*, & *Amphilocos*: & Græcorum sobolis omnibus, dixit Plinius. Nam, præter Teuerum, Telamonis filium, quem scribit Iustinus ad Callæciā venisse, & genti nomen dedisse, etiam Diomedes, eo delatus, Tyden urbem condidit, quam propterea *Aetolam* Silius cognominavit, lib. 3.

*Aetolaque Tyde.*

Durio vicinos amni, Spartano ritu degere, Strabo de Lusitanis agens, memoria pro didit. Hecatombas, certamina gymnica, ludos, armis, equis, cestibus, & cursu solitos celebrare; itemque coniugia Græcanico ritu: ut absque dubio græcam hi populi præ se ferant originem.

Liberi patris, atq; Olyssis vetustiora secula supra memorauimus. Adeo verum est, Græcæ originis multa in Hispania superesse vestigia, vt etiam linguae complura, & vocabula, & Hellenismi, & pleræque diptongi, ipsique etiam additi nominibus articuli, eorumq; usus apud nos & sit, & custodiatur. Aliquando, curiositatis studio, atq; animi causa, otio abusus, filiam collegi vocabulorum fere quingentorum, cum sua dialecto, nobis ex Græco relatorum. quæ persequi, huius loci nequaquam est.

### DE MONTEBVS.

**M**ONTES nonnullos habet Lusitania: sed, quorum mentio facienda sit, *Cicum*, *Barbarenum*, *Iunctum*, *Herminium*, *Lunæmontem*, *Tapiæum*, *Cordibam*, *Alcobam*, *Murum*, *Maranum*, & *Iureffum*. Mons *Cicus* ab Castro Marino oppido, Anæque fluminis exitu inciens, tamquam *Marianorum montium* appendix, Algarbi Regnum secat, & nonnullis emissis fluminibus, in mare propinquum se condentibus, ad oppidum *Algiazur* cum fluvio eiusdem nominis in occidentalis Oceani littore deficit. De Barbario superius dictum satis.

*Lunæmontem*, nos *Sintria*, ab oppido appellamus efficitque promontorium illud, quod magnum, siue *Olyssiponense* appellant Geographi. In cuius summis rupibus templum 40 est *Sanctissima Dei Matri* sacrum, ab indigenis maxima religione cultum, simulque cœnobium monachorum, ad *S. Hieronymum* vitæ institutum referentium, non tam numero, quam morum integritate suspiciendum. Ad radices montis, in ipso promontorii cacumine, quo in Oceanum præcipitatur, tempum olim fuit, *Soli*, & *Lunæ* sacrum. Cuius modo inter littorales arenas ruinæ tantum extant, & cippi aliquot inscripti, superstitionis antiquæ indices.

Vnus sic habet.

S O L I. E T. L V N A E C E S T. A G I D I V S  
P E R E N N I S L E G. A V G. P R O P R.  
P R O V. L V S I T A N I A E.

Hoc est,

*Soli*, & *Luna Cestius Acidius Perennis Legatus Augustalis Proprator Provincie Lusitaniae.*  
Alter autem sic.

S O L I. A E T E R N O. L V N A E  
P R O A E T E R N I T A T E. I M P E R I I E T  
S A L V T E. I M P. C A L.. S E P T I M I I.  
S E V E R I E T. I M P. A V G. C A E S. M.  
A V R E L I I. A N T O N I N I  
A V G. P I I.

.... Cæs.

..... CÆS.  
 E T. IVLIAE. AVG. MATRIS. CÆS.  
 DRVSVS. VALERIVS. CÆLIANVS  
 VIATI. VS I ... AVGUSTORVM  
 CVMV. SVALE ... NI ... SVA  
 E T. Q. IVLIVS. SATVR. QVAL....  
 ET. ANTONIVS.....

Hoc est,

Soli aeterno, Luna, pro aeternitate imperii, & salute Imp. Cæs. Septimii Seueri, Augusti Pii, &  
 Imp. Cæs. M. Aurelii Antonini Augusti Pii ..... Cæsar, & Iulie Augusta, Matris Cæsar, &  
 Drusus Valerius Cælianus ..... & Q. Julius Saturninus, & Antonius .....

Estibi præterea ingens alius cippus, qui habet supra triginta lineas littera minutiore. verum iniuria temporis, & aspergine maris in tantam scabritiem deuenit, vt in unaquaquo linea vix litteræ quatuor agnoscantur. Atq; hic est locus in quo, qui sacrosanctæ vetustatis inscriptiones typis in Germania edendas curauerunt, erutas fuisse aiunt quadratas columnas tres, in quarum una vaticinum Sibyllæ contineri afferunt.

### VOLVENT VR SAXA LITTERIS ET ORDINE RECTIS.

Quod vaticinium ego fictum existimo, & tres illas quadratas columnas tres esse cippis, quos dixi, sunt enim ingentes. Valentimum vero Moranum, fabulæ assertorem, virum bonum, negotiatorem splendidum, litterarum tamen Latinarum rudem fuisse accepi, vt facile fuerit ab impostore quodam decipi, & nouæ rei admiratione inductum suspicor voluisse Germanos suos participare.

### DE MONTE TAGRO SIVE IVNCTO.

**T**AGRVM montem, in quo equæ vento concipiunt, Olyssipponi vicinum Varro asserit. Infatura, inquit, res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum in eæ regione, ubi est oppidum Olyssippo, monte Tagro, quadam è vento, certo tempore, concipiunt equæ. Non disputo de conceptu ex vento, re nobis modo incompta. Sed, quod ad institutum meum attinet, mouet mihi scrupuli nescio quid, similitudo Tagri, & Tagi, hoc est montis, & flumii.

Subdubitaui s̄cpe, referendum ne esset, quod de monte ait, ad amnem, vt pro Tagro monte, amne Tago substitueremus. Quemadmodum fecit Plinius, qui circa Olyssipponem oppidum, & Tagum amnem, dixit: & Iustinus, In Lusitania, iuxta fluuium Tagum. Sed duæ res impedimento sunt: altera, quod non bene diceretur, equas concipere amne Tago: altera Columellæ verba montem quoque nominantis, tametli sacrum, non Tagrum. Verum, cum id à Varrone acceperit, ad illius lectionem reuocandus vtique est. Quod si quis opinatur etiam apud Varronem legendum, Monte sacro non repugnarem, si montem aliquem sacrum alicubi isto in loco legeremus. Sacrum montem in Callacis esse nouimus ex Iustino. Sacrum & in Lusitania, qui eiusdem nominis efficit promontorium. Sed horum uterque longissime ab Olyssippone distat, cum Varro vicinum dicat. Quare non audeo lectionem eius immutare: neque temere in notæ eius auctoribus id faciendum censeo.

Nam, quod Plinius, & Iustinus, iuxta amnem Tagum, dixerent, non tollit, in monte, qui iuxta ipsum amnem sit, idem etiam fieri, vt vere dixerint hi, iuxta amnem, & illi, In monte. Ceterum montem hunc eum esse, quem Iunctum adcolæ vocant, contiguumq; illi Albaratum, videtur liquere, ex equiferorum inibi passim multitudine per montem: cum solitaria, tum etiam gregatim errantium. Corporatura illis mediocris, sed firma. soliditas singularum siccissima, pernicitas mirabilis. Quare capti, ac domiti, ad perferendos labores, tam sarcinæ, quam itineris, ceteris duritia, videlicet rupibus assueti, longe præstant.

Sed, quamquam de conceptu ex vento disputandum à mē negati, referā tamen, quod inquirendæ rei gratia percunctanti, mihi indicatum est. Diversi abhinc septennium apud colonum agri Beneventani, iuxta Tagum: &, cum ab illo quærerem, ecquid de huiuscmodi conceptu, aut sciret ipse, aut ab aliis auditum meminisset, respondit, neq; se, neq; vicinos, qui equarias haberent, de ea vñquam refuisse solicitos.

Tantum, ut equire feminas animaduerterent, admitti eas curare. Si tamen, cum pulchram equam haberet, cuperetque bene vendibilem in proximas nundinas efficere, ante hinnitum, in Insula, quæ in medio Tago est, solam inclusisse, ut abundantia pabuli saginatur. Inuisam post menses duos reperisse grauidam, miratumq; eo quod illuc nunquam accessisset admissarius, euentum expectasse. Septem fere iam menses, cum tulisset vterum, enixa non quidem animal, sed concreti sanguinis informem materiam, abortumque suspicatum.

De hac equarum genitura aliud noui nihil. miror tamen, ut Virgilium, Siliusq; libro tertio taceam, Varronem doctrina tanta, esse veram asseuerantem, Columellæ habitam pro notissima, Plinium constare testatum, nec uno id loco referentem. Verum id inter se agitent physici. Nos ad susceptam materiam reuertamur.

### D E M O N T E H E R M I N I O.

**H**erminium montem & olim in epistola ad Emanuelem Sosam, Arruncensis castri præfectum, virum nobilem, & eruditum, & post ad Ioannem Vasorum, ostendi eum esse, in quo Alacriportus ciuitas, Aruntis, Alacretum, Maruanum, aliaq; oppida non contempnenda sunt. Ad cuius radices extant adhuc Meidubrigæ vrbis ruinæ, non procul à Maruano Castro, cuiusque editissimum culmen supra dirutam vrbem, etiam dum veterem appellationem retinet. *Herminius* enim mons vocatur.

Ipsa etiam destrœta ciuitas à monte, cui subiecta est, *Herminia* vulgo dicitur, siue, ut Lusitanæ loquar, *Haraminia*. Supersunt tota illa inter montes conuale, hinc turre, illic super fluum pontes, hinc etiam nobilium strata pavimenta, etiam Asarotica, illuc ductus aquæ fontanæ, parte alia parietes semidiruti, & alia veteris frequentia manifesta indicia. Fodinae quoque plumbi, auriq; ut indigenæ aiunt, multis locis per latera montis aperte, ut non immrito *Meidubrigenses* *Plumbarios* Plinius cognominaret. Veni in loci huius notitiam pri-  
mum ex ipso seruato ad hanc diem montis nomine, conspectisq; inter ruinas sepulta vrbis vestigiis. Deinde ex collatis Hirtii, aut Oppii verbis in commentario belli Alexandrini, qui est ciuilium bellorum quartus, vbi refertur Cassius Longinus *Meidubrigam* oppidum, mon-  
temque *Herminium*, quo Meidubrigenses cœnfugerant, expugnasse. Eamque mihi opinio-  
nem confirmavit Antonini Pii itinerarium, tribus ab Olyssipone Emeritam positis itineri-  
bus. Quorum in tertio *Meidubriga* LXIII. M. pass. distat ab Emerita, hoc est Hispanicis leu-  
cis sedecim. Tot enim modo numerantur. Sic: Post *Meidubrigam*, ad septem Aras, vbi nunc *Ala-  
crenum* est oppidum, M. pass. XLI. *Plagaria*. M. p. XX. *Emerita* M. p. XXX. In secundo autem sic:  
Post septem Aras. *Budua*. M. p. XII. Eratque Budua fere M. p. XII. ab eo loco, vbi nunc oppidum  
est *Campi Maioris*, extatque eo loco fanum Virginis matris, ad *Botonam* appellatum, vide-  
licet *Budua* nominis *Betonæ* nomen, facili ex cognatione litterarum depravatione: *A Bu-  
dua* vero *Plagaria*. M. p. VIII. Inde *Emerita*. M. p. XXX. Hoc ita explicandum censui, ut  
ab *Emerita*, ac *Meidubriga* propinquitate acquiescat lectoris animus, nec titubet de  
*Herminio* monte, ac *Meidubriga* à me modo expositis, cum paulo post non parum inde re-  
motiore monte *Herminium* quoq; esse ostendero.

Aio igitur, nominatum, ac celebrem tota Lusitania *Stella* montem, multis oppidis fre-  
quentem, multorum fluviorum patrem, & vbi niues delicuere, ob pabuli abundantiam,  
maxime pecoris sum, *Herminium* quoque esse, neq; obstatre inter modo expositum, & hunc  
*Stellam* sine continuis montibus longiusculum interuallum.

Quod autem *Stella* mons *Herminius* vocatus quoque sit, patebit ex libris testamento-  
rum, donationum, emptionum, ac venditionum cœnobii Canonicorum sanctæ Crucis  
Comitbricensis.

In quarta igitur parte libri testamentorum, instrumento primo, Comes Henricus, &  
Regina Therasia, Alfonsi Henrici primi Portugalæ regis parentes ita loquuntur: *Facimus  
charta donationis, de illa hereditate nomine Sancto Romano, quæ est sita iuxta Senam, sub monte Her-  
meno*. Valde vero notum est. *Senam* oppidum, oppidumq; *Sanctum Romanum*, sub *Stelle* mon-  
te esse, non longe ab insigni oppido, à *Cabia Iuliani* dicto, & lanificio celebri de quo alias.

Instrumento octavo eiusdem libri, vbi agitur de hereditate Anfedi, habetur sic. *Ego  
Anfodus de medietate totius nostræ hereditatis, quam habemus in villa Lagaris in territorio Sena,  
subtus monte Hermeno.*

Instrumento decimotertio, de hereditate Ioannis Garciæ: *De nostra terra, quam habemus  
in territorio Sena, subtus monte Hermeno, in loco, qui dicitur Assamassa.*

Instrumento quintodecimo, de Sancta Maria de Melquida. *Etest, inquit, sita submonte  
Hermenio, in partibus Sena.*

Instrumento duo de vigesimo, de hereditate Pelagii Ariei, sic: *De tota illa hereditate, quam habemus in villa Sancti Romani, in loco scilicet, qui dicitur Assamassa, subtus monte Concieiro. Vbi aduentum, Sanctum Romanum oppidum, & vicum Assamassam sub monte Hermeno prius dicta, modo sub monte Concieiro collocari: Videlicet, quia Concieirus Herminii pars sit, peculiari nomine Sancto Romano, & Assamasse imminens.*

Instrumento vndetrigesimo, de hereditate Sancii Vermuzii, sic est: *De tota illa mea hereditate, quam habeo in villa Pallacios, territorio Senae, sub monte Hermeno.*

In secunda vero parte libri venditionum, instrumento primo, de hereditate Menendi Pelagi, ita legitur: *In villa, quam vocant Lagares subtus montem Hermenum, in territorio de Sena.*

Instrumento septimo, itemque duodecimo: *In villa Sancti Romani, & in circuitu eius, sub monte Hermeno, discurrente fluvio Alalia. Et alias s<sup>e</sup>ppe.*

Semperque hic mons Hermenus vocatur, non autem Stelle, quasi nomen hoc recens, nec ita pridem sit impositum. Audiui, à pastoribus inditum, argumento Stellæ, in summitate cuiusdam rupis ab natura effigiata.

Hermenii montis incolas à Cæsare Lusitaniam prouinciam post præturam vrbis adepti expugnatos, ad hunc modum scribit Dion, sub libri trigesimi septimi finem. Cuius verba, quanta potui fide, ex Græco ita verti: *Hoc eodem tempore Faustus Sylla filius, agonem monomanchia pro patre fecit, & populum publico conuiuio exceptit, & lanacra, atque oleum gratis præbuit. Et hec quidem in urbe facta sunt. Cæsar autem post præturam, Lusitanie imperium accepit. Cumque potuisset latrocinia, quæ semper apud illos erant, tollere sine magno quopiam labore, otium habere noluit. Et enim glorie cupidus, & Pompeio, aliisque, qui ante ipsum multum potuerant, inuidens, nihil paruum animo concipiebat, sed sperabat quidpiam & ipse tunc posse efficere, consulque statim decerni, & opera ingenita edere. Cum propter alia, tum quia in Gadibus, quando quæsturam gessit, somnum viderat, quasicum matre coiret, & ac interpretibus, ab diuinis didicerat, in magna se potentia esse futuru. Unde & effigiem Alexandri ibi in Herculio templo suspensam videns, suspirauit, & conquestus est, quod nullum adhuc ipse opus magnum fecisset.*

Ex eo igitur tempore, cum liceret illi pacem habere, ut dixi, ad montem Herminium versus est. Inquit incolas eius in campis tria ad habitandum transire, prætextu quidem, ne à munitis locis prædeunes latrocinarentur; re autem vera, quod non ignoraret, eos hoc nunquam facturos, atque ex hoc belli occasionem caperet. Quod & factum est. Eos igitur ad arma venire compulit. Verum, cum finitorum quidam veriti ne etiam in ipsis impetum faceret, filios, & uxores, & alia, quæ chara, ac pretiosa habebant, ultra Doriū clam exportarunt, interim dum hoc faciebant, ipse civitates illorum occupauit. Et post hac certamine congressus cum ipsis est, obiuentibusq; armēta sua, ac greges, ut in Romanos ad prædam pecorum dissipatos incurserent, exercitum transmisit illosque adortus denicit. Inter hec, cum cognouisset eos, qui Herminium montem habitabant, abscessisse, & sibi reuertenti insidiatores, tunc quidem alio se contulit, rursus vero exercitum in eos duxit, & cum prævaluisset, ipsos ad Oceanum usque fugientes, insecurus est. Postea vero quam illi continentem relinquentes, in insulam quandam truicere, cum ipse nānes non haberet, circare regionem mansit, compactisque ratibus partem quandam exercitus aduersus eos misit, multos tamen ibi amisiit. Etenim terram quandam ē regione insulae existērem cum aduertisset militum illorum præfectus, eosque illuc adduxisset perinde ac pedibus transituros, ipse postea, astus reciprocantis vi coactus, & subductus est, & illos deseruit. Ex illis autem alii quidem egregie se vlti occubuerunt. Publius vero Scænius solus relictus, & scuto priuatus, adhac multis vulneribus sauciis, in aquam defilīt, ac demum enatauit. Atque hæc quidem tunc sic euenerit. Postea vero Cæsar, à Gadibus accersitis nauigiis, in insulam cum toto exercitu transiit, ipsosque rei fumentariae penuria laborantes sine pugna ad deditiōnem compulit. Atque inde, cum ad Brigantium, Callacie ciuitatem præter nauigasset, recto nauigiorum cursu, illos, qui nondum ad id tempus classēm viderant, exterruit, ac in potestatem redegit.

Hoc, quod hic narrat Dion, Cæsarem finitorum Herminii ciuitates inuasisse, cum eo congruit, quod ait Suetonius, *Lusitanorum illum quædam oppida hostiliter diripiisse, quamquam neq; imperata detrectarent, & portas aduenienti patefacerent. Sed quænam Herminii pars hinc intelligetur, mihi nondum satis liquet. nam ex pecorum gregibus, & armentis, quæ Romanis incolæ, separandi exercitus gratia, obiiciebant, videtur significari Stellæ mons, vtante dixi, pecorosus: quamquam pars illa vergens ad Meidubrigam oppidum non parum etiam pecoribus abundet.*

Vxorum, filiorum, aliarumq; rerum in pretio habitarum exportatio ultra Durium ad Stelle monem Durio propinquorem, videtur pertinere. Rursus fuga Herminiensium, & Cæsaris insecurio usque ad Oceanum, exposito priori loco, monti magis conueniunt. Sed querendum utrobique, quænam insula ista fuerit terræ contigua, ad quam siue pedibus, siue natatu, profugi transire potuerint, ad quam similiter & milites traiicere tentarint?

Non fuisse *Londobrin*, cuius meminit Ptolemæus, (Berengam modo dicimus) indicie est distantia à continente non modica. Et, cum alia iuxta *Lusitania* totius littus nulla nostra & tuo extet, hæc, de qua Dion loquitur, vel incumbentis violentius mari abrasa, deletaq; est, vel certe peninsula illa oppidi *Panisci*, iuxta *Atoungiam*, erit intelligenda. Nam etiam nunc alueo quingentis passibus lato à continentis seiungitur, qui pedibus & stu cedente transitur, redeunte vero insula plane sit, neque adiri vado potest. Et forte illo sèculo fuerit aliquanto maior.

Certe non importuosum esse locum, ut eo Cæsar's classis appellere, & in salo esse potuerit, Piratæ nouere. Qua vna ex causa Ludouicus Athaidius, tractus eius toparcha, vir dignus de quo sermo longior haberetur, apud Regem Ioannem tertium expositis illius teoræ periculis, institutis, vt liceret illic sibi castrum firmissimum, operibus, propugnaculis, omnique ad arcendos piratas necessaria supellecstile munitissimum extruere, cuius huiuscmodi inscriptionem præfixit:

*Securitati & Memoria.*

*Emmanuelis Lusitan. Regis. Pi. Fel. innicti. fil.*  
*Ioannes. III. Lusitan. Rex. pius. fel. innictus*  
*Castrum cum propugnaculis. ad oppidi munimentum*  
*Atque ad arcendos ab ora maritima Piratas*  
*Petente, & curante*  
*Domino Ludouico Athaidio*  
*Limitis Atoungiaci toparcha*

Eamque rem, ne in historia vrbium postea repeteremus, hic oblata occasione, visum est non prætermittere. Epigramma quoque in tanti viri memoriam hoc, qualemcumque est, ipsi fecimus.

*Hec infesta prius, Prædones sæpe marini*  
*Qui faciebat is littora, quique mare;*  
*Ite alio posthac, longeque facebit portu:*  
*Longe hic per vastum velificate salum.*  
*Donec Athaidius nostram tutabitur oram,*  
*Stabit & hæc moles pulchra, superba, minax*  
*Piratis nullas datur hinc auertere prædas:*  
*Nil rapere hac vobis in regione licet.*  
*Ac de Herminio satis iam multa.*

*D E T A P I A E O M O N T E.*

**T**apiæ montis nomen apud scriptorum antiquorum quempiam non legi, inueni tamen in vita sancti Martini, Sauriensis presbyteri, scripta à Saluiano autumno eius familiari. Eam reperi in libro testamentorum, venditionumque Cœnobii Canonicorum sanctæ Crucis Conimbricensis, charta quadragesima sexta. Quod adnotare volui, vt memoriam sancti viri, quæ intercederat, renouarem. Quam aliquando spero me editurum, ifsdem quibus scripta est, verbis, vt lectori maiorem fidem faciam. Sed de hoc alibi. Quod ad rem facit, de qua agimus, scriptor ille, qualis qualis est, cum oppidum Saurium iuxta decursum Ançi fluminis in Mundam labentis pene superflua curiositate describit, ita ait: *Ab urbe Colimbrianaorum decimo octavo Austrum versus distat millario. Ad Orientem sunt Tapiæ montis saxosa cacumina.* Et alia, quæ sequuntur. Ex quibus patet Tapiæ montem esse, quem Ansidianum ab oppido nominamus, & inter Rapaciale, & Palumbare oppida excurrit, quiq; à Thomario Conimbricam euntibus saxoso nimis itinere per quam molestus est. Quod nos in carmine ad Lupum Scintillam testati ita sumus.

*Sic ereptani clivum lapidose superbum*  
*Ansidianæ, tuum, sic per sine sole molestos*  
*Anfractus Tapiæ tuos, vergente senecta*  
*AEger anhelani.*

Summum montis iugum supra Rapaciale oppidum, adhuc, vt ab indigenis didici, portus *Tapiæ* dicitur.

*D E M O N T E C O R D V B A.*

**C**orduba mons in Portuensi diœcesi nomen adhuc vulgo retinet, nisi quod rusticorum infætia, primum cōcise montem *Cordubam* cœpit appellare, postea depravatius, *montem*

montem Cornam. De quo, & de Basilicis in eo Saluatoris, ac sancti Michaelis Archangeli, particularis fiet mentio in rebus, ac historia sancti Rodesindi Episcopi, & confessoris, quam etiam aliquando, Deo bene iuuante, ex tenebris in lucem proferendam curabimus.

## DE ALCOBA MONTE.

**A**LCOBA mons ex Conimbricensi dicētū, per Visensem protensus, in Lamecensi: Muro monti coniungitur, nulla re alia magis clarus, quam insigni Virginis Aroccensium parthenone, & fluuiis nobilium piscium troctarum, Lampetrum, alofarumq; prēter alia vulgata genera, feracissimis. Quorum tamen alii in Mundam, alii in Vaccam, in Durium aliis se condentes, suorum nominum interitu, dant incrementum alueis alienis.

DE MONTIBVS MARANO,  
Iureſſo, Suaio, & Muro.

**M**ARANVM, Iureſſum, & Murum, adde, si placet, Suaium, ob id tantum referendos putare, quia Bracarorum prouinciam, ita medianam secant, vt pars, quæ ab iis tendit ad mare, Interduriominia vocetur. De cuius regionis laudibus, fertilitate, amoenitate, ac salubritate extat opusculum lectione minime indignum. Altera vero pars, quæ vltra eos montes, Minio ab laxa relicto, Orientem versus ascendit, Transmontana vulgo appellatur.

Videntur autem hi montes quasi rami esse quidam montis Vindui: cuius Florus, & Orosius meminere. Ptolemaeus Vindium vocat, qui ex Pyrenæo supra Pompelonem, Cantabrorum urbem, per Victoriam, eiusdem gentis ciuitatem, & Geminos Astures late excurrit, donec in duo diuisus cornua, altero Callaicum petit Oceanum, & Nerium promontorium, altero in meridiem flexus, Bracaros, vti dictum est, dissecat, iuxta aquas Flavias Lusitanam ingressus ditionem, ac variis subinde locis nomina quoq; varia sortitur.

FINIS LIBRI PRIMI.

30  
DE ANTIQUITATIBVS  
LVSITANIAE, LIBER  
SECUNDVS.

## DE FLVMINIBVS.

**M**ULTIS fluminibus irrigatur Lusitania. Id silentio non præterit Strabo. Regio, inquit, de qua loquimur, felix est, & amnibus magnis, ac paruis irrigua. Qui omnes ab oriente pariter disiuncti à Tago sunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque Ane, Tagi, Munda, Vacca, Durii, Aui, Limia, ac Minii tanta claritas est, vt in eis explicandis operam insumere superfluum videatur. Sunt tamen singulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, vt opinor, non iniucunda sunt futura. Veluti Ane, tanto flumini, cuniculis se totum condere non semel, alicubi interstitio quadraginta millium passuum, rursusque impetu maiori renasci. Potu eius ac pastu, ingentia naturæ vi adeo grandescere pecudes, vt Ananis armentis, ac bobus, prima ex magnitudine palma, in Hispania tribuantur. Cumque piscesissimus amnis sit, pisces tamen eius non tam iucunditate saporis, quam proceritate commendantur.

Mytilin vsque à mari subeunt aloſæ, & lampetræ, siue mustellas eas, siue fluuiales murænas magis conueniat appellare, vt eas appellauit Tertullianus in libro de pallio, notata Vedii Pollionis immanitate, qui damnata mancipia viuariis earum immergebat, vt murænarum suetu paullatim absumerentur. Et quidem lampetas Septimum intellexisse, indicant verba, quæ subdit: Terrene bestia, exedentula, exungues, & excornes. Marinæ siquidem murænae, vt neque terrenæ bestiæ erant nuncupandæ, ita neque exedentulæ sunt, verum dentatae etiam eminentius. Subeunt, & Anam sub Idus Martias vsque ad iam adulatam æstatem, Asturiones iusta magnitudine, sed raro maiores, quam vt bini mulum oneant clitellarium.

## DISQVISITIO DE PISCE ASTVRIONE.

**P**eto vero à lectoribus hanc veniam, vt isto nouitio excellentis piscis nomine hic me vsum non indignentur, quando medicorum, quorum maxime interest, & eruditorum qui de piscibus scripserunt, concertatio adhuc finem non reperit, & dissidentium mutuo sententiæ in aliqua certa appellatione, nondum conquiescunt.

Eorum, qui magis ad veritatem accedere videntur, Paulus Iouius *Silurum* esse existimat. Et sane sunt non pauca quæ fidem videntur facere, si è diuerso non essent alia, quæ manifeste abrogarent. Nam cum *Asturionem* fateatur, maleficum neq; esse, neq; esse posse, quia dentibus omnino careat, sic ab natura formatus, quoniam piscibus non aatur, hoc vno argumento, suam de Siluro opinionem tueri non poterit.

Nam *Silurus* maleficus est, & vt scribit Plinius libro nono, capite decimo quinto, *grafsatur ubicumque est, omne animal appetens, & equos innatantes saepe demergens*. Ad hæc, hamo prehensus, morsu durissimi dentis saepe hamum frangit, vt in nono historiæ animalium capitro trigesimo septimo inquit Aristoteles, quibus nihil alienius ab Asturione commemorari potest.

Præterea eodem loco Aristoteles *Silurum* fluviatilem piscem esse ait, quem sequitur Plinius libro nono capite decimo quinto. Cum enim de Thynnorum magnitudine esset locutus, *Sunt, inquit, & in quibusdam amnibus non minores, Silurus in Nilo, Esox in Rheno, Attulus in Pado*. Et capite decimo sexto: *Fluviatilium, Silurus canicula exortu sideratur*. Libro quoque trigesimo secundo, capite decimo: *Siluri fluviatilis, qui, & alibi quam in Nilo nascitur carnes imposita, &c.*

Strabo etiam libro decimo septimo, *Siluris abundare Nilum ostendit*. Quod si quis, propter Plinii verba postremo à me posita, *Siluri fluviatilis*, ideo dictum exstimet, quia sint & marini, qui tamen amnes ascendant, tum alias, tum etiam Nilum, id Strabo de Nilo constanter negat, Aristobuli auctoritate lib. decimo quinto. *Tradit etiam, inquit, Aristobulus, nullum ex marinis piscibus in Nilum recurrere, prater alosam, & mugilem, & delphinum, propter crocodilos*. De Siluro tamquam Nili indigena nihil dixit.

Fluviatilis ergo est. Asturiones vero pelagici, nisi quod pinguioris pabuli gratia, dulces petunt aquas, quibus & pingueſcunt, & salsuginis deposita tristitia in obſoniis longe suauiores gustui efficiuntur.

Gulielmus Rondeletius, laborioso, & docto, de piscibus edito volumine, qui nunc Asturio est, Acipenserem Latinis fuisse contendit, Dorioni Græco auctori Oniscon dictum, Galaxiam Galeno, Sed quid respōdebit Plinio? qui libro nono, capite decimo septimo ait: *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus Acipenser, unus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat. Nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inuentu, quidam cum Eloper vocant*.

Quid etiam Plutarchus qui in libro de industria animalium, cum dixisset pisces omnes cauere, ne ventus a tergo incumbens squamas surrigat, cieatque addidi: *Hoc igitur communis piscium est omnium, Acipenser tantum excepto, secundum ventos, & fluctus meat hic, squamae 40 vulsonem veritus, ut quarum commissuras ad os versas habet*. Vbi enim squamæ in Asturione? vt de conuersis ad os fileam.

Nam, quod Rondeletius item se diremisse autumat, respondens, dictum esse hoc, ab iis qui Acipenserem cumdem esse cum Eloper existimarint, equidem probare nō possum. Piscem hunc, cui Asturioni nomen fecerunt neoterici, aut norat Plinius, aut non norat. Plutarchum præterea natus. Non nosse, verisimile non videtur, cum esset omnium marium indigena, & amnum fere omnium in Romano orbe, tum vero in ipsa Italia hospes assiduus. Si norat, & is Acipenser erat, qui poterat, squamas etim non habere, ignorare? Quomodo ergo Acipenser, non modo squamas, verum ad os versas attribuit? Videlicet dormiens litteris ista mandabat. Non mora fortasse, quoniam rarus inuentu esset. Ita certe Acipenser. Admodum enim raro capi, etiam in libro de fato Cicero testis est, vt affert in tertio Saturnalium Macrobius. Nam nos eum Ciceronis librum imperfectum habemus. Cui ignotum quoq; fuisse Acipenserem indicant ipsiusmet verba, etenim cum allatum ad Scipionem dixisset, *Raro, inquit, admodum capitur, sed est pisces, ut ferunt, in primis nobilis*. Et Plutarchus ipso in libro de Anthia sacro pisce apud Homerum, *Eratothenes, inquit, Auratam videtur, Pernicemq; superciliosamente sacrumq; dicere. Multi Acipenserem*. Nam & hic rarus est, & agre capitur. Conspicitur autem circa Pamphyliam saepe. Martialis quoq; rarum dicit:

*Ad Palatinas Acipensem mittite mensas:*

*Ambrosias ornent munera rara dapes,*

*Quis*

Quis autem vel Plinio, vel Ciceroni vel etiam Martiali credat, raro capi eum piscem, qui Pado, qui Tiberi, ut nihil amplius dicam, tam familiaris sit? Acipenser autem non tantum rarus admodum, sed etiam omnino peregrinus.

In Halieutico dixit Ouidius.

*Tuque peregrinis Acipenser nobilis vndis.*

Sed dolendum, quoniam in hoc versu fragmentum eius libelli nos destituit. Forte enim de Acipensere plenius instrueremur. Illud tamen satis est, peregrinum vocasse pis-  
cem, ut ea peregrinitatis appellatio Asturioni conuenire nullo modo queat, pisci per quam  
domestico.

<sup>10</sup> Caret squamis Acipenser, inquit Rondeletius. Hoc nunquam euincet per Plinium, ne-  
que per Nigidium Figulum, naturalium rerum maximum indagatorem, ut eum honoris  
causa vocat apud Macrobius Serenus Sammonicus, neque per Plutarchum, neque per  
Macrobius, ipsumque Serenum, qui in Seueri principis conuiuo Acipenserem cre-  
bro esitarit, & quæ de squamis ad os versis à Plinio dicta sunt, vera esse ex Nigidio confir-  
marit.

At ex Archestrati sententia, Athenæo referente, Galeus Rhodius idem est cum eo,  
qui apud Romanos cum tibiis, & coronis, coronatisque ministris cœnis inferebatur, vo-  
careturque Acipenser, sit ita sane. Sed ostendendum erat Rondeletio, Asturionem Ga-  
<sup>10</sup> leum esse Rhodium, cumque esse, qui tanta pompa ad mensas deueniret. Quod ille non  
facit. Imo ille ipse Galeus Rhodius, potius idem esse cum Elope videtur. Nam Elopem,  
quem in profundo tantum Pamphylio mari pasci, nec nisi raro, ac vix capi, aiunt Colum-  
mella, & Aelianus. Rhodium quoque esse ostendit ex Varrone Gellius libro septimo ca-  
pite decimosexto, ut Galeus Rhodius, & elops Rhodius idem piscis sit, Romanis dictus  
Acipenser.

Vnde & Plinius Acipenserem, quosdam vocasse Elopem dixit. Inter quos fuit Appion  
Grammaticus, ut refert Athenæus.

Theodorus Gaza, homo non minus Latine, quam Græce eruditus, quique Græca no-  
mina semper latine quoad fieri poterat, reddere conatus est, apud Aristotelem de historia  
animalium libro secundo, capite decimotertio, Elopem Acipenserem transtulit. De Bran-  
<sup>10</sup> chiis enim piscium agens Aristoteles, ita scribit: *Aliis binæ utrinque, alteræ simplices, alteræ  
duplices, ut congre, & sacro, aliis quaternæ utrinque simplices, ut Acipenser, dentici, murena, anguille.* Quod si certi essemus, eundem cum Elope esse Acipenserem, ut vertit Theodorus, &  
multi dixerunt Græcorum; hæc vna quaternarum branchiarum nota satis nobis erat ad ex-  
cludendum ab Acipenseris nomine Asturionem.

Etenim pro ea mole, tam exiguae, simplices, & operæ illi Branchiae sunt, ut branchiis  
catere sit potius existimandus. Naribus autem refrigeratur, & quam haustu collegit a-  
quam, eam illo semper patentis prori oris foramine reicit. Verum sitne idem Elops Rhodi-  
us, vel Rhodius, vel Pamphylius, siue Galeus Rhodius cum Acipensere, viderint Græ-  
ci. Certe tam Elops quam Acipenser peregrini sunt. Ouidius in superius citato libello,  
<sup>40</sup> sic ait,

*Et pretiosus Elops nostris incognitus vndis,*

*Tuque peregrinis Acipenser nobilis vndis.*

Quibus Ouidii carminibus adductus Plinius in fine libri trigesimi secundi falli eos  
dixit, qui Elopem Acipenserem existimassent, cum diuersi sunt, licet & hic, & ille pere-  
grinus.

Asturio autem, ut ante dictum est, in omnibus Romani orbis fluminibus, paulo tamen  
maioribus, atque in Pado, ipsoq; Tiberi tam frequens est, ut parum considerati fuerit ho-  
minis, quæ de Acipensere, siue Elope dicta sunt, Asturioni tribuere, & Nigidium, Cicero-  
nem, Plutarchum, ac Plinium, illisq; minores, doctos tamen: & antiquos, tam pueriliter es-  
se alucinatos existimare.

<sup>50</sup> Acipenser igitur, sit, si placet, cartilagineus, sit triangulari corpore, ut eum contendit  
Rondeletius, dummodo sit parvus, ut ait Athenæus, dummodo peregrinus, nec alibi,  
quam in Pamphylio, vel in Rhodio mari, & raro, ac vix captus. Asturio certe vulgatissimus  
piscis esse non potest. Atq; hæc responsa sint Rondeletio.

Hermolaus Barbarus, nobilium studiorum gloria insignis, à Paulo Cortesio senten-  
tiā rogatus, per epistolam respondit, Asturionem antiquitus Hyccam fuisse Athe-  
næi testimonio, hac adductus conjectura, quod Hycca porculum significet, & Asturio,  
præsertim adhuc parvus porcelletus ab Italies nominetur, à porco, vel porculo sane per di-  
minutionem facta nomine. Cuius opinionem Sanctus iuuat Ambrosius, in Dominica

passione, cum dicit: *Gutto, seu gulo porcellum amat, ut comedat.* Et in Hexamero, *Iudeos marinis porcis vesci, dicit, cum terrestribus abstineant.* Quæ conjectura non tam frigida est, quam eam Iouius existimauit. Si tamen frigida videatur, calefaciamus nos & verbis Isidori, scriptoris neque externi, neque tanquam ignobilis contemnendi. Is Etymologiarum libro decimo, secundo capite de piscibus, diserte, & sine vlla ambiguitate, Asturionem modo Italum vocatum, ita describit: *Porci marini, qui vulgo vocantur Suilli, quod, dum escam querunt, more suis terram sub aquis fodunt.* Circa guttum enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immersant, pastum non colligunt. Non potuit neque planius, neque evidentius res aperiri. Rostrum habet piscis oblongum, instar proboscidis, sub mento circa guttum foramen, magis quam os, dentes autem nullos, neque maxillas. Quare dum pascitur rostrum limo, soloque aluei, vt immersat, necesse est, nihil alioqui comprehensurus. Eoque fit, vt cum pascitur, limi reuolutio ē fundo ad summam aquam pertingens indicium latentis eo loci faciat pescatoribus. Bene igitur pescem nobis expressit Isidorus. Nec tacuit nomen hoc, quo Hispani omnes vtimur. Suillos enim appellamus, siue, vt mere Lusitanie dicam, *Soilhos.*

Quod si de Isidori fide dubitabunt, quibus is auctor idoneus non videtur, inter varias de Siluro, Onisco, Galazia, & Acipenser sententias, ne videatur absurdum, si etiā nos scrupulum doctis iniiciamus, adductis duobus piscium generibus, qui Asturiones non inepte videri queant. Ex Niliacis piscibus, à Strabone primo loco numeratur Oxyrinchus, ex eo vtique dictus, quod oblongum, atque acutum rostrum habeat. Talia vero esse Asturionum rostra, indubitatum: nec minus certum, frequentem in Nilo esse capturam.

In Danubio quoque, ac Borysthene, piscis capit, cuius ita meminit Plinius libro nono capite decimo quinto: *Et in Danubio, mari extrahitur Porculo marino simillimus, & in Borysthene memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus, spinis interstitiis, carne prædulci.* Emendat eum locum Gelenius, & pro, *Mari extrahitur*, reponit *Mario extrahitur*, vt hic piscis ossibus ac, spinis carens, Mario vocetur. Emendandi occasionem sumpsit partim ex eo, quod cum illic fluviatici pisces referantur, marino locus esse non videbatur, partim, quod hunc Itali, quibus ob falsamenta notus est, Moronem adhuc semilatino appellant nomine. Iouius inter falsamenta prædura valdeque rubentia ignoti sibi piscis frustra, Moronem vocat. Sed enim, si tueri vetetem lectionem velimus, intelligemus Plinium innominatum reliquise, signa autem dedisse maximæ cum marino Porculo similitudinis. Et capi quidem in Danubio, ac Borysthene, verum à mari extrahi. A mari enim tractus, Danubium, ac Borysthenem subit. Vtro autem modo legamus, non multum refert, nisi quod Gelenii lectio blandior est. Mari extrahit, pro trahitur ex mari & paulo coactior. Quamquam nec sic tota periodus mihi non suspecta est. Desidero enim Plinianæ dictioñis iuncturam, & concinnitatem, quæ languida, ac dissoluta hic videtur. Quare donec alias me felicius locum emenderit, ego ita legerem. *Et in Danubio Mario extrahitur, Porculo marino simillimus, & in Borysthene.* Memoratur præcipue magnitudo nullis ossibus spinis interstitiis, carne prædulci. Hoc videlicet sensu: præcipue memorari in eo pisces magnitudinem sine ossibus sine spinis interstitiis, carne autem prædulci. Ceterum hunc pescem, siue innominatum, siue Marionem dictum, Hermolaus in Corollario capite de Homotricho, Antacæum existimat, sortitum nomen hoc ab amne, qui in Mæotin ex regione Antacarum influit. Eos pisces Delphinibus magnitudine pares lib. 17. Strabo afferit. Herodotus autem libro quarto de Borysthene, agens, magnitudine cetaceos, spinis carentes, & ad Salsuram dicit optimos. Atqui à Borysthene, Phasi, & Tanai, falsamenta, ex Asturionum ouis salitis, Cauaria vulgo dicta, & ex dorsuali parte, quæ vocant Schinalia, & pleuras, id est, latera, & hypocælia, id est, abdominalis, pubisq; partes, per totam Italiam circumferri, vulgatissimum est.

Ea falsamenta, quæ ex Asturione esse omnes fatentur, Hermolaus ex hycca, vel hysca, id est porculo marino, constanter affirmat. Hyccam autem, siue hyscam Sturionem Italiz consensu ait appellari, Considerent igitur, & expoundant eruditii, num Oxyrinchus Strabonis, Mario siue innominatus Plinii piscis, quem Antacæum Hermolaus interpretatur, ipseque Strabonis, & Herodoti Antacæus, hycca, siue hysca Athenæ, & porculus, idem omnino pescis sit, Sturio, siue Asturio modo vocatus.

Verum, Mario, vel in nominatus Plinii piscis, sitne idem, qui marinus porculus, an aliis illi simillimus, liquido nobis non distinxit Plinius. Mihi satis est, in nominatum hunc, vel Marionem, siue Antacæum sine ossibus, sine spinis, carne autem prædulci, ac simillimum marino Porculo indicari. Iam enim hinc habeo, porculum marinum ossibus ac spinis carere,

tere, & prædulci esse carne. Isthæc Sturioni inesse, qui ignorat, Asturionem neque vidit, neque gustauit.

Si vero quis obiiciat, Asturioni ossa quædam minime deesse, videlicet in capite; huic respondeo, ea nequaquam vera esse ossa, sed callosam quandam cartilaginem, aut si senior pisces est, eaq; ossa habeat duriuscula, id tam pusillum est, ut pro non ossibus merito habendasint. Si vero idem est Mario, & Antacæus, & porculus marinus, immo etiam si diuersus est, simillimus tamen, relinquitur recte nos docuisse Isidorum.

Tot nomina, inquiet aliquis, vni pisci? Neminem ea nominum multitudine conturbet. Sapienter enim Plinius loco ante citato. Græcis, enim, in plerisq; nominibus, vti par erit, quando aliis, atq; aliis eosdem diuersi appellauerent tractus. In Ægypto itaq; à rostr. effigie Oxyrinchum dixerunt ad Borysthenem, & Mæotim Antacæ gentes sibi domestico Antacæ nomen fecere. Hyccam Græci, vel Hyscam maluerunt. Latini Porulum, & Porcum, nominis ab Isidoro redditia ratione.

Congilatissimum Æthiopia regnum, cum suis Regibus, opera, & studio pientissimum Lusitanæ Regum, ab idolorum cultu conuersum est, & in Christi religione mira pietate perseverat. Per eius medium, vt ferunt incolæ, Nili Brachium ab ipsis statim fontibus diuisum, tam vasta magnitudo, ac tanto impetu non modo fluit, verum etiam rapitur, vt daodecim millia passuum latitudo excedat, altero ad immensitatem profundo. In eo iidem pisces, eademq; animalia gignuntur, quæ in brachio illo, quod per Ægyptum meat, procediora tamen, & corporum mole auctiora omnia. Immanes ibi & Crocodili, & Hippopotami, & aliorum Nilo domesticorum piscium maxima toto flumine multitudo. Asturionum quoq; ingens copia, fisci tamen Regii, capitaleque est, captum pisces Regium ad Regem non deferri. Delatum ipse cui vult donat. Angulum ibi vocant, id est Porcum. Differentiæ tamen causa, Angulum amazi, hoc est, aquarum Porcum dicunt.

Duo hic sumo argumenta. Alterum Nili Ægyptiaci, Oxyrinchos, Asturiones in hoc Æthiopico brachio captos mihi videri. Nam & hic & illic, iidem Nilo familiares immensæ, & nascentur pisces, eademque reperiuntur animalia. Neque futile videri argumentum debet, cum eodem bis vtatur Plinius libro quinto, capite nono: Tum circa Nili originem ex lacu Nilide, ibi, inquit, pisces reperiuntur Alabæ, coracini, siluri, Crocodilus quoque. Inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus, tum mox, cum aliquot dierum itinere conditum, in Massæylorum gente dicat erumpere, iisdem animalium argumentis, Nilum agnoscit tradit. Cumque se rursus considerit viginti dierum desertis, profiliare tandem ad proximos Æthiopas, fonte nigri vocato. Diuidi autem in ramos, vt Ægyptum præteream, indicio est, Zanaga appellatus amnis iidem refertus animalibus, quem à Nilo defluere comprehendam nostris est.

Alterum duorum, quæ me sumere dixi argumentorum, Porcorum videlicet nomen, quod illis tribuit Isidorus, Æthiopicarum gentium consensu validius confirmari. Sed vt tandem finiam, si leuioribus coniecturis vni videamur, interim tamen, dum veritas eruitur, arbitratu suo appellant Itali, ceteræq; nationes, recenti nomine Sturiones, siue potius Asturiones, à Minio Asturiæ flumine, vt apud Clementem Septimum Pont. Max. noster Michael Silvius differuit, appellemus nos porcos marinos, aut si amphibole giam timemus, quia sunt & alii porci marini, tum Plinio, tum Straboni, simpliciter appellemus Suilos, nomine à mille iam annis, & supra Isidori æstatem, Hispaniæ nostræ peculiati, ac vernacula. Sed de his nimis multa.

#### DE CALLOPODE.

**C**allipodis meminit solus Ptolemæus, est queis qui in Cetobrigensem, ac Salaciensem finum ingreditur, ad duodecim millia passuum supra Salaciam, onerariis nauigiis, & celocibus nauigabilis. Nos vulgo Sadanum appellamus. Quod nomen, vt non à fonte, vel ab origine, quasi suum detulit. Sed posteaquam Exarama, Odiuella, sancta detinentia, diuersis ex locis collecta, torrentium, ac fluentorum multitudine in amnium iustorum opinionem aucti, & in alueum unum confluentes, paulo supra portum Regium, suis depositis nominibus, honorem illi cesserunt, Sadanus vocari cœpit, ita nomen id non longe perfert. Sed post sedecim, aut paulo amplius milliarum usurpatum amittit, Salacie si æstuario longissimo præoccupatus. Videlicet ne recens usurpato nomine, Deæ Salaciæ, ex qua vrbis nomen, de interitu fluviorum trium superbius se iactaret.

Familiares huic fluminis sunt mugiles, tū cephalii, tum labiones, barbi, & anguillæ egredi sapore. Bocæ quoq; & minores alii pisces. Atq; vbi falsis intermiseretur vndis, cammarorum, pectinumq; prouentus ingens. Raro lampet ræ in eo capiuntur.

## DE TAGO.

**T**agus in sinum Olisippensem ingressus, librura pro sua dignitate poscebat peculiarem. Tot enim urbes, tot valida, & opulenta oppida, in suis ambitu, & per utrasque amnis ripas centum fere millium spatio tantum vetustatem colligenti, idonea modo materia non est.

Quin & multa, quae de fluvio Strabo prodiderat, ad nos integra non peruererunt. Indicium est, confusa verborum series: *Deinde promontorium Barbarium, & eruptiones Tagi, in quas recti nauium cursus. Sunt autem stadia decem. Hoc in loco, & maris infusiones ingruunt, quarum una ultra stadia quadringenta extenditur à turri iam dicta. Ea in parte aquantur, &c.* Certe corruptum locum, vel hoc testatur. *A turri iam dicta.* A qua turri? Nullius enim mentio præcesserat. Et illud: *Ea in parte aquantur Iponlacia.* Quibus restituendis locis, cum impar ego sim, expectanda erunt, vel felicitaria ingenia, vel exemplaria emendatoria.

Miscetur Tagus marinis aquis in intimo sinu ad oppidum Villam Francam. Latitudinem ostii Strabo stadiorum esse viginti tradidit, altitudinem vero permagnam, ut à nauigiis millia decem vingtib[us] nauigari facile possit. Hoc verum est, nauigaturque dupli- ci canali, veteri, ac nouo, &c, quod ait, in superioribus campis æstus accessione duas diffundi inundationes, ut ad stadia centum & quinquaginta facies extet pelagi, reddaturque plenities tota nauigabilis, hoc nos experimur ab ipso oppido Villa Franca, usque Beneuentum. Sed insula stadiorum triginta longitudinis, & æqualis fere latitudinis, fertilis, optimisque uitibus consita, quemadmodum fuerit, assignare non possumus. Multæ ibi sunt insulæ, ac ferulissimæ quidem, sed nullis vinetiis consitæ. Frumentariæ enim factæ omnes sunt, aut pastionibus seruatæ.

Quod vero dicit, agrum circum circa bonitate conspicuum, scimus non solum coloci, sed ex utroque amnis latere, campos illos, ad Tancos usque limosis inundationibus tam letos, ac fœcundos effici, ut simplicissima, fereque nulla ratione triticum quidem, & hordeum quinquagesimo ab satione die metatur, singulari terrarum omnium exemplo. Statimq[ue] in leuiuscule aratis dicam, an scalptis? milium scratur, ubere oxyfissimoque prouentu, vel inter paucissimos à messe sublata dies, nullo satu, sed sponte seges regerinet, fœcunditate restibili.

Vt, quod de Erytheia contra Lusitaniam insula, quæ nusquam medo est, Mela tradidit, longe in his agris, amnisque insulis contingere copiosius, experimenta demonstrent. Siue frugum vertas, siue pabuli abundantia requiratur. Tale ingenium glebae est, quam Tagus inundationibus lætitificat, vereque dixit Strabo: *Vicina Tago ceterorum opulentissima sunt oppida.*

Amnis quidem piscium feracissimus est, ostreorumque redundans. Inter Taganos pisces principatum obtinent Aloſæ, & propter bonitatem, & proprie copiam. Alterum Aloſarum genus, de quo in Ægidio Scallabitano disputauit, Sabogarum, vel Sabellatum, stri- gosius, insipidiusque est, præterquam Maio mense: tunc enim aliquam in edulis habent gratiam, verum ita ut recentes à flumine prunis in craticula toſtae, petroselini pultario ex piperi, ac mali medicisucco condiantur. Ut merito de his intellexerit Ausonius, cum in 40 Mostella dixit.

*Stridentesq[ue] foci obsonia plebis aloſas.*

Raræ in Tago capiuntur lampetra, rariores marini porculi, siue Suilli. Jam enim audeo Isidoro nisi. At celebris illa auri fama per omnes poetas u'gatissima, obscurior modo, ac prope extincta est, cautione legum, ne commotæ arenæ depressiores frumentarios agros nocimento afficiant. In testimonium tamen cantata gloriæ, Regum Lusitanorum sceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum potest, factum & scimus, & non semel vidimus.

## DE TAGI NOMINE.

**D**e ipso Tagi nomine, cum aliquid etiam cuperem annotare, nihil investiganti oblatum est, quod vilum operæ esse pretium existimarem. Piget autem fabularum, quas Ioannes Annus in fictitium suum Berosum effudit: *Tagum dictum fuisse à nomine regis, qui post Brigum in Hispania regnarit. Isidorum dæmiror, virum magnum, & rerum multarum bene peritum, nec elegantiorum litterarum tam expertem, ut insolenter fastidio sit à dicendi testimonio ablegandus. Is Etymologiarum lib. 13. Tagum, inquit, flumen Carthago Hispania nuncupauit, ex qua ortus procedit. Fluminis arenis auriferis copiosus, & ob hoc ceteris fluminis Hispanorum prelatus.*

Omitto, quod non oritur à Carthagine Tagus, siue Carthaginem nouam Hasdrubalis intelligi-

intelligimus, siue veterem Ilercaonum etiam Hispaniæ, cuius solus meminuit Ptolemaeus, non autem Cicero, sicut ex non adhibita diligentia existimauit, & adnotauit in Pomponium Vadianus, adducto Ciceronis loco de lege agraria: *Tum ipsam veterem Carthaginem vendunt. Cicero enim, quam veterem Carthaginem vocarit, satis aperuit lib. 2. de eadem agraria lege: Et in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit.*

Verum, hoc omisso, intelligere non possum, quonam modo *Tagus* à Carthagine sit nuncupatus. Neque tamen mirum, si Isidori coactior, ac contortior etymologia videatur, cum M. illi Varro non perbene semper res ea successerit.

Fuit ex nostris, qui alicubi scripsiterit, Olyssem, quo tempore Olisipponem condidit, à socio *Tago*, qui in flumen ceciderit, ipsum *Tagi* nomen fluvio indidisse. Nec abhorrebat à vera similitudine, si antiquitatis fundamento niteretur.

Fateorigitur, non nosse me, vnde isthèc *Tagi* originatio processerit. Sed, vnde vnde sit, antiquissimum nomen est: nec aliud flumini fuisse comperitur. *Bætin Cirtium* ab incolis appellatum, scribit Liuius. Græcorum quidam, *Tartessum* dixerunt, ut Stefichorus apud Strabonem. Stephanus ab indigenis *Percen* vocari tradit.

*Tago* nulla nominis contigit mutatio, neque apud Græcos, neque apud Latinos. Esse vero nomen vetustissimum, etiam viris proprium, in Latio, ostendit Virgilius Ænei. lib. 9.

*Dum trepidant, ijt hasta Tago per tempus utrumq.*

Hispano quoq; regulo cuidam, nomen idem fuisse, cum rerum in Hispania Carthaginenses potirentur, auctor est Silius lib. 1. Hasdrubalis crudelitatem, *Tagi* reguli sæcum interitum & serui non minus magnanimam in vindicanda iniusta domini cæde, audaciam, quam in perferendis cib patratum nobile facinus cruciatibus, generosam patientiam his carminibus prosecutus.

*Interea rerum Asdrubali traduntur habent,  
Occidui qui solus opes, & vulgus Iberum,  
Bæticolasq; viros fatis agitabat inquis,  
Tristia corda ducis simul immadicabilis ira,  
Et fructus regni feritas erat, asper amore  
Sanguinis, & metui demens credebat honorem.  
Nec nota docilis pæna satiare furores,  
Ore excellentem, & spectatum fortibus ausis,  
Antiqua de stirpe Tagum Superumq; hominumq;  
Immemor, erecto suffossum robore, mæstis  
Ostentabat ouans populis sine funere regem.  
Auriferi Tagus ad scito cognomine fontis,  
Perg. antra, & ripas nymphis ululatus Iberus.  
Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet  
Stagna sibi, nec qui riguo perfunditur auro  
Campum, atque illatis Hermi flavescit arenis.  
Primus inire manum, postremus ponere Martem,  
Cum rapidum effusis ageret sublimis habenis.*

### D E M V N D A.

*M*vnda sequitur, in medium fere vltimi promontorii latus effluens, vt Mela tradidit: Inter Durium, atque Tagum, æquis fere ab vtroque spatiis separatus. *Adurio Tagus* inquit Plinius. CC. M. p. 1. interueniente Munda.

Non longe oritur, aurifer & ipse, minoribusq; nauigiis aliquatenus, cymbis vero fluuiaticis, vsque Conimbricam hodiernam, & supra nauigabilis. Abundat Alois, Lampetris fo autem vbiq; scatet laudatissimis, in superioribus etiam Troctis. Rapax est, ac modicis imbris excrescit ad insaniam.

Agros fecundat tritico, hordeo, secale, olyra, milio, panico, & præcipuelini magna copia tenuissimi, & cum quo quis optimo conferendi. Non procul Catina oppidum (ita enim legendum) vulgo Catima dictum, etiam adhuc extat, in cuius agro fontes illi sunt Plini libo secundo memorati, alter omnia respuens, alter absorbens, ille quia fere communem cum reliquis naturam habet, miraculo nequaquam est: hic propter mirabilitatem quotidie à visentibus frequentatur Feruentiam vulgus appellat.

Vidi egomet cum illo essem cum Alphonso Catdinale principe memorabili, cæsam arborem bene magnam in lacunculum arenæ, in quo ebulliens fons diffunditur pedali

altitudine, iniectam, paulatim inter arenas sorberi, & post paruam moram non compa-  
ruisse.

A nnis Straboni *Muliadas* appellatur. Sic enim libro quarto circa medium fere scri-  
bit. Deinceps post Tagum nobilissima flumina sunt *Muliadas*, paruas habens nauigations. Itidem  
*Vacca* fluminis.

### DE VACCA FLUVIO.

**M**edio fere inter Mundam, & Durium interuallo, *Vacca* in mare influit & ipse, ut Strabo  
ait, quemadmodum, & *Munda* paruas habens nauigations. Nec longe ortus, alosatum,  
lampetrarum, troctarumque ferax. *Vacuum* illum Strabo vocat, *Vacum* Ptolemaeus. Ori-  
tur non peregre, sed paulo supra *Alcobam* montem collectus, indeque leni alueo illapsus  
multos nec exiguos fluuios, ac fere parem Agatham in se condit. Iamq; intra modum ma-  
gnus in scetur mari.

Errore putauere quidam *Vaccos* populos ab eo denominatos, cum intra Lusitaniam  
ortus, latissimis *Vaccorum* Tarraconensis prouinciae populis dare nomen non potue-  
rit. Potius igitur à *Vacca* oppido, quod fuit iuxta Pyrenæum, vt refert nono etymologia-  
rum libro Isidorus, *Vaccum* nomen est factum, & late per citeriorem Hispaniam, propa-  
gatum.

Sed de *Vacca* fluminis ostio, maritimoq; tractu, inter recensendas vrbes, quod ad rem  
faciat, non omittemus.

### DE DURIO.

**D**urus claritate sua, & scriptorum testimonio celebratissimus, aquarium mole *Tagum*  
superat, nisi quod compressiore, vt fere inter montes, alueo fluit, *Tago* per liberos, &  
planos campos ad ostentationem se dilatante. Hinc apud nos vice prouerbii usurpatum:  
*Tagus tulit famam, sed Durius vehit aquas.*

Ceteris amnibus, *Minio* excepto, grandiores fert Alosas, Lampetas, & Troctas, quas  
iure præferunt delicioris gulæ estimatores, Salmonum parcior, & Asturionum.

Nauigatur aduerso amne m. pass. fere centum, vsque ad cataractam vnde ex rupe le-  
nunculorum ascensum impedit, magno fragore præcipitatur. Ingens ibi lampetrum  
rupi sub cadente in arcum aqua oribus adhærentium capturest. Locum cum oppidulo,  
*sancum Ioannem ad Piscariam*, vulgo appellant.

Nobis adolescentibus Martinus Ficaretus iurisconsultus, & Latinarum litterarum no-  
imperitus, quibus operam non ignauam sub Politiano Florentiae dederat, cum in eis ge-  
ret, amota cataracta, posse cymbas vsque ad maxime frumentario Sarabris, Senticæque  
agros paruo negotio subuehi, & frumento onustas prono amne redire, non minima laxio-  
ris annonæ prætentia spe, patriæ emolumento, rege permittente, priuatus ipse, & impari-  
tantæ rei censu moliri opus attenauit, bonaque obstaculi partem summo labore irru-  
perat. Verum illudentibus optimo viro, vel qui ex vetere forte similitate nondum illi erant  
pacati, vel quibus mos est, facilius aliorum egregios reprehendere conatus, quam egre-  
gium aliquid ex se conari, hominemque tamquam semidelirum, apud Regem criminan-  
tibus, neque modo principali munificentia non iuandum, sed cœpto temerario etiam  
prohibendum obloquentibus. Cataractam enim illam, & meatum subterraneum non  
procul à Brigantia vrbe, vbi terræ, & rupibus mersus amnis astiuo tempore fere per mille  
passus subter labitur, diuinum non sine prouidentia esse opificium, negata Hispanis in me-  
diā Lusitaniam vsque ex *Vaccæis* ea illabendi facultate. Quasi vero vna illa rupe totius  
patriæ securitas niteretur, tandem familiari sua rē attenuatus, interuersoq; æmolorum ma-  
lignite regali fauore, desperata perficiendi spe destitit.

Aurum vehere *Durium*, si nos ignoraremus, à Silio poteramus admoneri, dicente:  
*Hinc certant Pactole tibi, Duriusque Tagusque.* Terristamen parcitum est, salutari legum in-  
terdicto, quemadmodum de *Tago* ante diximus. Nomen annis Latini magno consensu  
*Durium* appellauere. Ptolemaeo *Dorias* est. Dioni *Dorios*, Straboni tum *Darios*, tum  
*Durias*.

Non bene quidam miscuerunt *Turiam* cum *Durio*, idem ambobus nomen facientes,  
credo ob Hispanicarum rerum ignorationem, quia *Turia* non tam celebris est. Fluit autem  
*Turia* iuxta Valentiam, de quo Pomponius libro secundo, *Setabin*, & *Turiam*, & *Sucronem*  
non magna excipit flumina. Et Plinius libro tertio capite tertio, *Valentia colonia tribus m. pas-*  
*à mari remota. Flumen Turia.* Ita enim legendum, & apud Pomponium, & apud Plinium, e-  
rudite & vere contendit Hermolaus.

Citat locum Priscianus lib. quinto, & sexto ex secundo Historiarum Salustii; Inter lœnam Menium, & dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo interuallo præterfluit.

CN. quoque Pompeius in epistola ad Senatum (quæ vna cum Salustianis fragmentis circumfertur) ex fide veteris codicis, quem apud me habeo. *Recepit Galliam, ait; Pyrenaum, Lacetaniam, Indigetes, & primum impetum Sertorii victoris nouis quidem militibus, & multo pauoribus sustinui. Et paulo post, Castra hostium apud Sucronem capta, & prælatum apud flumen Turiam, & Dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia, & exercitus deleti satis clara vobis sunt.*

Vbi corrupte legitur, apud flumen Durium. Turiam, enim, vocari id flumen, de quo Pompeius loquitur, ostendit Plutarchus in Sertorio. Remedia, inquit, in rebus aduersis, magis clarum eius virtutem faciebant, veluti in ea pugna, quæ apud Sucronem contra Pompeium commissa est, & rursus in ea que apud Turiam aduersus Metellum simul & Pompeium.

Et adducunt quidam Claudianum in laudibus Serenæ.

*Teniente ferunt, per pinguis culta tumentem  
Diuitiis undasse Tagum, Callacia risit,  
Floribus, & roseis formosus Turia ripis  
Vellere purpureo, passim mutauit onile.*

Plerisque tamen visus poeta est non satis œconomiae prospexit. Nam cur fluum paruum, & alias ignobilem, prætermisso Ibero, Baeti, Ana, Durio, ac Minio maxime rei, quam efferte gestiebat, tanta pompa feligeret, ac formosum roseis ripis vocatum Tago copularet, fluminum Hispanorum famæ vulgatissimæ, & dotem, quæ peculiari Baeti est, vt ait Martialis, *Aurea qui nitidis vellera tingis aquis, illi tribueret?* Quare lectionem emendarunt, & pro Turia substituerunt Duria, quasi acceperit Claudianus hoc ex Strabone, qui vt dixi Durion, & Durian appellat, videturq; congruere sensui. Nam dixerat Callacia risit floribus, adnexuitq; fluum, qui Callaciam & Lusitaniam dirimit.

Primam autem nominis syllabam propter Græcam diphthongon produxit creditur, videlicet homo Græcus. Nos tamen Silium præponimus, qui nomen id non tantum cum flumen significat, verum etiam cum virorum proprium est prima syllaba breui semper enunciatur, vt libro quinto;

*Quam victor sub manibus ille Sagunti. Abstulerat Durio.*

Et libro decimo sexto.

*Nobilis hunc Durium stimulabat in aquore currum.*

Claudiani vero Turiam mutare non audemus, potiusque circa œconomiam labeculam illi condonandam, quam audaciæ nimia, tum circa declinationem, tum circa membrum syllabæ, ad spargendam tam bono poetæ notam existimamus. Turia igitur, Turia sit, & Durius suo fruatur nomine, vt Latinis placuit. Nam Græci, in recensendis Latinis viro- rum, fluiuorum, & vrbiuim nominibus, mire variant, neq; sibimetipsis constant.

### DE FLVMINIBVS BRACARORVM.

Post Durium, quo Lusitanos à Callacis separari supra docuimus, per Grauios, qui Bracari postea dicti sunt, fluunt, inquit, Pomponius, Auo, Celandus, Nabis, Minius, & cui obliuionis cognomen est Limia. Non seruauit ordinem Pomponius, sed satis habuit omnes nominare. Ordo sic habet. Celandus, Auo, Nabis, Limia, Minius, ita enim à Durio sequuntur. Est autem Celandus is flumius, qui ad oppida Laciam, & Matuinos mare ingreditur, & fluuiante, etiam nauigiis aptus. Auo, siue Ausus, vt Ptolemaeo placuit, notior est, & nauticorum capacior. Nabis is est, qui & oppido, & ponti Nebia (cuius mentionem facit in itinerario Antoninus) nomen dedit, sed vbi Cadano iungitur, sub Cadani appellatione exit in mare, ad oppidum Fanum. Limia nomen retinet. Strabo alterius nominis mentionem facit.

Oblivionis, inquit, flumius, quem quidam Limæam, alii vero Belionem vocant. Decipitur autem Strabo in eo, quod ait Limiam à Celtiberis, & Vaccæis fluere. Non longe enim oritur, ex palustribus quibusdam locis inter Aquicaldensem urbem, & oppidum Montem Regium, Tractusque ille vulgo Limia dicitur, & incolæ Limici, vt ex columna Aquiflauensi, quam supra posui, appetat.

Cognominis obliuionis causam, Strabo idem prodidit, & nos ab illo, cum de Celticis ad Anam ageremus, summatim attigimus: quam tamen, quoniam huic loco propria videatur esse, etiam reddemus.

Celtici Lusitani ad Anam pertinentes, & veteres Turduli, cum sociis armis ad hæc loca pervenient, traiectoque Limia coorta seditione ducem amississent, palantes ac dissipati in regione conserdere. Quam ob causam flumen obliuionis est appellatum. Nempe

quia expeditionis, quam suscepserant, & mutuæ seditionis obliiti, ibidem postea quiete.

Auxit religionem vanitas, vt crederent à contactis fluuii aquis obliuionem incurri, adeo ut cum D. Iunius Brutus cum exercitu eo deuenisset, & milites fluuium transire nolent, raptum signifero signum ipse transtulerit, & sic ut transgredierentur persuaserit, vt in Liuii epitome legimus, & obiter attigit Plutarchus in problematis sectione trigesimateria. Qua ex causa Plinius eum fluuium multum fabulosum appellat.

## DE MINIO.

**S**equitur *Minius*, quem Iustinus libro ultimo à Minii frequentibus venis sic vocatum prodidit, Strabo duo illi nomina tribuit, ita scribens: *Post hos Benis, Alii autem Minium dicunt*. Verum ego duplarem errorem inesse coniicio. Alterum scripturæ, vt non *Benis*, sed *Nenius* legendum sit: Alterum situs, vt vicinitas Strabonem sefellerit. Nam diximus ex Pomponio, *Nabin* fluuium esse *Minio*, *Limiaq*, vicinum, qui mixtus Cadauo in Fanuensi littore erumpit. Verum qui velit suo fruatur iudicio.

Ceterum omnes ii fluuii piscium lauitorum feracissimi sunt, Lampetrarum, Alofarum, Troctarum, Troctisalmonum, Iridum, atque Salmonum, in primisque ipse *Minius*. Fert *Limia* Salmones, & Suillos, siue Asturiones, sed minores. *Minius* vero prægrandi magnitudine & excellenti præstantia. Atq; omnes hi, quos hactenus exposui, veteribus Cosmographis noti fuerunt.

## DE ALIIS NON NVLLIS FLVMNTIBVS.

**S**unt alii, & per quam multi, neque ignobiles. Qui quoniam in maiores influunt, nec suo saluio in mare egrediuntur Geographæ scriptoribus, aut ignorati sunt, aut suppressi. Horum aliquot, dignos qui in notitiam veniant hominum nostrorum, referam. Nominibus vti licuerit priscis, ac Latinis, vbi minus, iis, quibus modo appellantur, quam maxime potero, barbarie, si qua inerit, mitigata. Cuiuscemodi sunt, *Cuda*, *Tamaca*, *Naban*, *Ozecarus*, *Ancus*, *Caia*, *Cania*, *Scila*, *Subur*, *Thera*, *Sata*.

*Cudam* Lusitani *Coam* vocant. *Cudam* autem vocari, ex inscriptione pontis Alcantaræ, vbi *Transcudani* notati sunt, animaduerti.

*Tamaca* similiter nomen ex Aquiflauensi columna accepi, vbi *Tamacani* populi recentur. *Nabanem* & *Ozecarum* historiæ sanctæ virginis, & martyris Irenes, quæ ante annos cœtingentos scripta est, acceptos refero. De Nabane alias, cum inter vrbes ad Nabantiam ventum erit.

*Ozecarus* est, quem Lusitani *Zezarum* vulgo dicunt. Is *Nabanem* excipit, & ipse in *Tagum* erumpit, tanta vi, vt Taganas aquas, ad alteram usque ripam proscindat, & quasi indignatus, quod à maiore fluuiio extinguitur, fere ad mille passus prono alueo contumaciter mixtioni resistens, à colore dignoscitur. Nam *Tagus* flauas ac subalbas vehit aquas, hic autem cœruleas, ad nigrorem tendentes. Arbitrantur à multitudine lini, quæ macerandi causa quacumque fluit immergitur, eum traxisse colorem, Quin, & arguti quidam nomen factum inde putant, quod infecti liquoris graueolentia caput tentet.

*Anci* nomen, ex vita sancti Martini Sauriensis presbyteri, abhinc annos supra quadragesima quinquaginta scripta, accepi. De quo cum de *Tapiao* monte agerem, superius memini.

*Nontacendus* est *Subur*, de quo à Ioanne Barrho viro nobili, & inter negotia litterato interrogatus, respondi, vetus me nomen ignorare. Sed cum Lusitane *Soor* dicatur, ô littera obscuro sono inter O, & R, prolata, ausus ego sum *Subur* formare, interposita, B. Ad similitudinem duorum eodem nomine vocatorum, alterius quidem in Africa, alterius vero in citeriore Hispania.

Noster itaq; *Subur* postea *Raiæ* iunctus, *Suburraia* nomen accepit, quod perfert, donec exit in *Tagum*, ibi alofarum mercatura nobis Transtagani factus celebris.

*Seilia* nomen priscum sortitus est, ab oppido quod præterfluit ditionis *Urbanensis* cœnobii. Ingrediturq; *Mundam*, iisdem quibus *Munda* piscibus abundans

## DE FERTILITATE LVSITANIAE.

**D**e hodierno huius prouinciae cultu, deque eius admirabili tum amoenitate, tum etiam omnis generis frugum copia, atque vertate, superuacaneum existimo hic verba facere. Quæ autem antiquitus de ea re scriptores variis in locis tradiderunt, longum esset repetere. Vnum tantum Athenæi testimonium adducam, ex quo facile constare poterit, quam fecunda, fertilis, ac felix regio hæc de qua agimus, semper habita fuerit. Is igitur libro

libro 8. Dipnosophistarum, capite primo, ita scribit: *Vbi Lusitaniae fertilitatem (est autem regio Iberia, quam Hispaniam Romani appellant) declarat Polybius Megalopolitanus: Omnia hominum optime Timocrates. & scribit libro Historiarum trigesimo quarto, quod ibi ob optimam aeris temperiem animalia sunt fœcunda, atque homines; nec umquam fructus defunt in ea regione: rosæ enim, albaque violæ, asparagi, resque huiusmodi non defunt per maius temporis spacium, quam trium mensum.*

*At marinum obsonium, quod ad multitudinem, bonitatem, pulchritudinemque spectat, maxime differt ab eo, quod est in nostro mari. Nam & hordei sicles, qui medimum continet, drachma venundatur, & tritici nouem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma: hædus mediocris, obolo: sic & lepus: at agnus trium, vel quatuor obolorum pretium esse consuetit.*

*Sus, qui ad centum librarum pondus accedit, quinq[ue] drachmis in cœnas emitur, ouisque duabus, ac secundum talentum tribus obolis emitur.*

*Vitulus drachmis quinq[ue], bos iugo aptus decem, filii strum vero animalium carnes, neque pretio quidem ullo dignæ putantur, sed has inter se conferunt, benignæq[ue] admodum vicissim larguntur, ac mutant.*

Nobis vero bonus Larensius Romanus Lusitania adesse facit, quotidieque variis implet bonis, ut cum suavitate, magnificentiaque omnia confiantur, studet, cum nihil domo afferamus, præter sermones.

FINIS LIBRI SECUNDI.

## DE ANTIQUITATIBVS LVSI TANIAE, LIBER TER TIVS.

2 VINAM RERVM IN LUSITANIA  
nia potiti olim sunt.

 VIBVS subdita fuerit *Lusitania* ante Carthaginenses, atque Romanos, haud facile dixerim; nisi forte Luscinio regulō putemus, de quo & Culca, Liuius libro tertio decadis quartæ: *Cum is status rerum in Asia, Graciaq[ue], & Macedonia esset, vix dum terminato cum Philippo bello pace certe nondum perpetrata, ingens in Hispania ulteriore coortum est bellum. Marcus Heluius eam prouinciam obtinebat. Is litteris senatum certiore fecit, Culcam, & Luscinium regulos in armis esse. Cum Culca decem & septem oppida, cum Luscinio validas urbes Cardonem, & Bardonem, & maritimam oram, quæ nondum animos nudaverat, ad finitimarum motus consurrecturam.*

Obscuranis hæc sunt, tædet enim fabularum. Quare catalogum Regum, vel ex filio Berofo, vel ab Anio Viterbiensi, vel à superioris ætatis Hispanicarum rerum scriptoribus excogitatum, illis relinqu, quibus belli isti concinnatores valde placebunt.

Ego multos per totam Hispaniam diuersis in locis reges, aut potius regulos semper fuisse existimo. Quales fuere Gargoris, Habides, Argantonius, & Geryones. Eisi Hecateus Historicus, vt est apud Arrianum lib. secundo Geryonem nihil ad Hiberiam pertinere tradiderit, sed potius ad Ambraciam, & Amphiliolocos, ipseq; Arrianus neminem extare Hispanum dicit, qui id nomen sciret regibus suis fuisse.

Veruntamen fuerit, cum multi alii id tradant auctores, neq[ue] receptæ antiquitati derogemus. Fuit quoq[ue] Theron, cuius in primo Saturnaliorum meminit Macrobius. Mandonius item, & Indibilis apud Liuium decade tertia, quos etiam celebrat Silius. Mandonium quidem libro tertio, in catalogo Hispanorum, qui Hannibalis sequuti sunt partes. Indibilem autem lib. 16.

*Indibilisq[ue] diu letus bellare Latinis  
Iam socius.*

Hunc, nisi ego fallor, Polybius lib. 3. Andobalem vocat, de Cn. Corn. Scipione loquës, cum inquit, *vivos autem cepit Annونem Carthaginенium ducem, & Andobalem Iberorum.*

Plutarchus etiam in Scipione, non hos duos solum, verum & Corbin, & Orsuam inuenit patruelæ, de regno inter se narrat dissidentes.

Hilermus quoq; à M. Fulvio nobiliore captus in prælio apud Toletum, de quo Liuius lib. 5. decade quarta.

Thurrus item longe potentissimus omnium Hispanorū, vt ait Liuius lib. 10. decade 4. Fuere & alii permulti, quorum seriem per continuas successiones velle describere, inter-  
perans mentiendi libido mihi videtur, cum maxima eorum pars vetustate nimia exoleue-  
uerit, pars, quæ apud autores nonnullos sparsim reperitur, nihil ad peculiare meum de  
*Lusitania* pertineat institutum.

Romanorum, Pœnorumque prædæ prout, aut hi, aut illi plus armis valuere, exposita  
Hispania fuit, vt Græcos, Iberos, Persas, atque Celtas nouas sedes quærentes, & Phœni-  
ces, Tyriosque ipsos diuitiarum fama inuitatos, ante duarum harum gentium de imperio 10  
propagando contentionem prætereamus.

Sub Carthaginensium ditione, cum reliqua Hispania fuisset *Lusitaniam*, sub initia se-  
cundi belli punici, ex Liuius cognoscitur. Postea enim quam Romanis Pœni bello fracti,  
Siciliam reliquerunt, cedentes tempori, compositis Africæ rebus, Hispaniam inuasere,  
missò cum exercitu Amilcare, cui Barcha cognomen fuit, vna cum Hannibale filio, fere  
nonum ætatis annum agente, & genero Hasdrubale reruin gerendarum socio.

Amilcar igitur bonam Hispaniæ partem olim amissam, bello recuperavit, nouem cir-  
citer annis cum imperio in Hispania commoratus. In bello tandem contra Vettones, (sic  
enim legendum apud Plutarchum in Hannibale) fortiter pugnans i terri apud Castrum  
Altum. Nam ita Liuius locum cædis eitis appellat, libro quarto tertiae decadis.

Quo interfecit, & Hannibale domum reuerso, successit Hasdrubal, qui nouam con-  
didit Carthaginem, vt autores sunt Polybius, Mela, & Strabo. Quamquam Silius Italicus  
ad Teucrum conditorem eam retulit lib. 3.

*Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.*

Et ne putemus hoc de altera vete i Carthagine in Hispania dictum esse, cuius solus me-  
minit Ptolemæus, & nos superius cum de Tagi nomine ageremus. Idem Silius libro deci-  
mo quinto ad vnguem, situm, & portum describit his carminibus :

*Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetusto.*

*Nomen Carthago, Tyrios tenet incola muros*

*Vt Lybia sua, sic terris memorabile Iberis.*

*Hæc caput est.*

Quæ autem hic Silius canit, explicat copiose Liuius libro sexto tertiae decadis.

Iustinus Teucrum ædificasse, non dicit, sed Hispaniæ littoribus appulsum, loca occu-  
passe, vbi nunc noua Carthago est, inde in Callæiam transisse. Fieri tamen potuit,  
vt aliquid ibi manserit ædificii parum frequentis, & sine nomine, à Teucro usque re-  
lictum. Carthaginis enim ipsum nomen, utramlibet in Hispania intelligas, Teucer po-  
nere non potuit, cum nondum villa extaret Carthago, ad cuius exemplum id nomen su-  
meret.

Sive enim originem Carthaginis ex Iustino petas, non parum multos post Troiam ca-  
ptam interfluxisse annos intelliges, sive ab Aurelio Cassiodoro, qui conditam dicit à Tyriis, 40  
quod fatentur omnes, sed duce eorum Carchedone, regnante apud Italos Latino Silvio, à  
capta Troia anni colligentur ultra centum triginta quinque.

Eusebius variat. Alibi enim auctore Philistoo à Zaro, & Carthagine Tyriis conditam  
dicit, ante Troiæ captionem annis supra triginta. Alibi autem iuxta aliorum opinionem  
diu post captam Troiam,

Timæus Siculus eodem fere tempore Romam à Romulo, quo Carthaginem à Tyriis  
tradit fuisset conditam. Non hic addo Virgilium, quia necessario, vt verisimilem faceret fi-  
ctum Æneæ ad Didonem aduentum, paulo post Illi excidium, exorientem facit Cartha-  
ginem. Eaç gratia reginam inducit de Teucro ista dicentem.

*Atq; equidem Teucrum memini Sidona venire.*

Sed historialiter, tanta rei est incertitudo. Tamen vt Iustini de Didone, & bubulo co-  
rio, seu fabulam, sive historiam, vt receptorem sequamur, ante Romam conditam, an-  
nis septuaginta duobus fundatam à Didone Carthaginem admittamus, ita enim Iusti-  
nus.

Velleius autem Paterculus libro priore, *ante annos quinque & sexaginta, quam urbs Roma  
conderetur, ab Elyssa Tyria, quam quidam, inquit, Dido autem, Carthago conditum.*

Seruius vero Grammaticus super illud, *Vrbs antiqua fuit ante annos septuaginta dixit.*

Iam, cum à capta Troia usq; ad conditam Romam anni fuerint quadragecenti triginta  
tres, vt Solinus asserit, libro primo, capite secundo, si ex iis demas septuaginta duos, quibus

Iusti-

Iustinus Carthaginem ait Romam antecessisse; nonne relinquitur Carthaginem anno à capta Troia tercentesimo sexagesimo altero fuisse extructam?

Nulla ergo extabat Carthago, quo tempore, paulo post euersionem Troiae, Hispaniae littoribus Teucor applicuit. Nec igitur ei loco Carthaginis nomen potuit imponere. Nisi quis nos doceat alterius peculiaris rei causa id illum confinxisse nomen. Quam ostendi non posse, ego arbitror.

At Hasdrubal vicum forte parum prius cultum propter loci commoditatem, in urbis dignitatem auxit, atque muniuit. Carthaginemque vocatam ad imitationem patriae Poenis habitatoribus frequentem reddidit, ut merito urbis conditor perhibeatur.

10 Is ergo Hasdrubal consilio magis, quam vi regulorum ac principum conciliandis per amicitiam animis Punicum valde auxit imperium, dux arte mira, & Romanis formidolosa, adeo, ut missis ad illum legatis, foedus percusserint, in quo inter cetera cauebatur, ne Carthaginensibus liceret Iberum fluuium cum armis traicere, per Hispaniae reliquum, ab Saguntinis tamen abstinentes, qua vellent progrederentur; ut libro secundo retulit Polybius, & in initio decadis tertiae Liuius.

Sub hoc imperatore Hannibal viximus puber, triennio meruit, litteris accersitus Cartagine. Sed obtruncato Hasdrubale a seruo quodam ob iram imperfecti ab eo domini, sicut superius attigimus, cum de Tagi nomine ageremus, dux ab exercitu Hannibal est declaratus. Is non modo eam Hispaniae partem, quae proprius Africam est, sed etiam Lusitaniam suo iunxit imperio. Fuisseque cum in Lusitania testatur, vel oppidum ab ipso dictum, portus Hannibalis in promontorio sacro, apud Melam, vel illius verba, quae refert Liuius primo tertiae decadis libro: *Satis adhuc in vastis Lusitania, Celtiberiaque montibus pecora conse-ctando, nullum emolumentum tot laborum, periculorumque vestrorum vidisti.*

Cœpto quoque iam terra, marique bello militasse pro Hannibale Lusitanos, ostendit Liuius decadis tertiae libro primo his verbis: *Creati Consules Cn. Servilius, & C. Flaminius. Ce-terum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus paſsim Numidis equitibus, & quæ his im-peditiora erant, Celtiberis, Lusitanisq.*

*Quin Hasdrubal Hannibalis frater, cui relicta erat custodienda Hispania, ut eodem libro in-quit Liuius, in Lusitaniam ac proprius Oceanum concegit.*

30 Cumque postmodum ad fratrem in Italia bellum gerentem se contulisset, ac duo alii Hasdrubales cum Magone, ac Masanissa in Hispania rem Punicam gererent, alterum ex iis Gisgonis filium ultimam Hispaniae oram, quae ad Oceanum, & Gades vergit, hoc est, Transtaganos, & Turdetanos Lusitanos tenuisse appareret. Magonem autem reliquos. Unde cum ambo ad Hasdrubalem alterum, post factum cum Scipione ad urbem Baetulam prælium, auxilio iam sero deuenissent, capto in commune consilio, ut Hasdrubal ad Hannibalem in Italia cum exercitu iret, imminutumque quod erat Hispanis militibus repletur. Mago traditis Hasdrubali Gisgonis, quibus præcerat, copiis, cum grandi pecunia ad conducenda ex Balearibus auxilia est profectus. Hasdrubal vero Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abiit, ut ad ultima Hispaniae traducti Hispani milites, a transitionibus ad Romanos prohiberentur. Haec ex Liui septimo tertiae decadis libro, & in initio octauo. Et post prælio victi Carthaginenses, duce amissio in ultimam Hispaniae oram, usque ad Oceanum compulsi erant.

Hannibalem secutos fuisse Lusitanos in Italiam, non modo ex Liui colligimus, sed id etiam confirmat Silius, libro tertio in catalogo populorum, quos ad Italicum bellum Po-nus contraxit.

*Hos Viriatus agit, Lusitanumque remotis  
Extractum lustris, primo Viriatus in aeuo  
Nomen Romanis factum post nobile damnis.*

40 50 Et libro quinto in pugna ad Trasymenum, Tellum signiferum, ac nobilem Mamer-cum, ab iis interemptos ita narrat:

*Nec fati melior Mamercus, corpore toto  
Exoluit poenas, nulli non saucius hosti.  
Namque per aduersos, qua Lusitana ciebat  
Pugnas dira manus, raptum cum sanguine Telli  
Signiferi, magna vexillum mole ferebat,  
Et trepida infelix renocabat signa suorum.  
Sed furiata cohors, aususq; accensa superbis,  
Quodcunque ipsa manus gestabat missile, quidquid*

*Præbebat tellus, sparsis non peruvia telis,  
Iniecit pariter pluresq; in corpore nullo.*

Libro quoque decimo in memorabili illa Cannensi pugna C N. Seruiliū à Viriato Lusitanorum duce interfectum ait, Viriatum vero ipsum ab Æmilio Paulo Consule. Incurrebat in arma.

*Vincentum Consul: pereundi Martius ardor,  
Atq; animos iam sola dabat fiducia mortis.  
Cum Viriatus agens telis, regnator Iberæ  
Magnanimus terra, iuxta atq; ante ora furentis  
Obtruncat Paulifessum certaminis hostem.  
Heu dolor, heu lacryma, Seruilius optima belli,  
Post Paulum belli pars optima, corruit ictu  
Barbarico, magnamq; cadens leto addidit vno  
Inuidiam Cannis, tristem non pertulit iram  
Consul, & insani quamquam contraria venti  
Exarmat vis, atq; obtendit puluere lucem,  
Squalentem rumpens ingestæ toruus arenæ  
Ingreditur nimbum, ac ritu iam moris Iberi  
Carmina pulsata fundentem barbarac etra  
Inuadit, laueq; fudit vitalia mamme.*

Et ne quem turbet hæc Silii de Viriato narratio, aduertat alterum fuisse Viriatum hunc, alterum magnum illum, qui cum Lusitanis aduersus Romanos, annos quatuordecim pugnauit.

Nam hic regulus à poeta perhibetur; ille alter ex pastore, ac venatore latro, & inde dux exercitus ab omnibus qui de eo scripsere, fuisse narratur. Hic à paulo Consule Cannensi pugna occisus est, ille alter Seruilius Cœpionis dolo atq; insidiis periit. At inter mortem vnius, atq; initium bellorum alterius fluxerunt anni circiter septuaginta, videlicet ab anno conditæ vrbis D X L. ad annum DCVII.

Iterum si quis vrgeat, quonam modo Silius Viriati nomen mox factum nobile Romanorum damnis asserat? Respondebo non referendum hoc ad priorem Viriatum, quam- ; o quam, & ad hunc, qui & ad Trasymenum, & ad Cannas, Romanorum damnis inclaverat, sed potius ad posteriorem Viriatum ducem maximum. Ideoq; poeta non dixit ducem factum nobilem, sed ipsum nomen Viriatum, ignotum prius, mox, id est, post paucos annos, Romanorum damnis factum nobile.

Fuisse vero idem nomen duobus Lusitanis ducibus, diuersis temporibus, non mirabitur, qui vna tempestate, tot Hannibales, & plures aduertit exitisse Hasdrubales. Præterquam quod Viriati nomen, nempe à virium magnitudine dictum, utrique inditum à suis esse potuit, eadem gratia. Vnde & Lucilius Hannibalem Viriatum appellauit, vt est apud Nonium Marcellum.

Finito Punico bello, & à P. Corn. Scipione pulsis Hispania Carthaginensibus, cum nondum perpacatae essent prouinciae, frequentibus eas bellis Romani attriverunt, interdum vieti, maxime interfecis intra mensem duobus fratribus P. & Corn. Scipionibus; sepius tamen victores.

Quod ad Lusitanos attinet, M. Portius Cato, is qui Censorinus cognominatus est, ex Hispania citeriore, quam fuerat sortitus, ad ulteriorem descendisse videtur, si Polybio apud Plutarchum assentiamur.

Lusitaniam certe in officio continuit, metune an beneficiis non scio. Reperi de eo fragmenta marmorea duo, sed ex quibus nihil certi diuinare potui. Alterum Olyssippone in gradibus Palatii, quod est in summa arce:

... M. PORTIVS. M. F. M. N. C A T O ...

Id est.

*Marcus Portius, Marcifilius, Marci nepos, Cato.* Alterum in agro Sintriensi, in vico cui nomen est Fanum, de quo alias, & est cippi fracti superior pars.

M. PORCIO. M. F. CATONI OB SINGVL EI.....

Hoc est,

*Marco Porcio, Marcifilio Catoni ob singularem eius.* Post Marci Catonis ex Hispania profectionem, cum multæ in citeriore prouincia ciuitates rebellassent circa vi bis annum D L X. Sex. Digitius Prætor crebra magis quam digna dictu prælia fecit, & adeo pleraque aduersa, inquit Liuius in initio libri quinti quartæ decadis, vt vix dimidium militum,

quam

quam quod acceperat, successor tradiderit. Nec dubium fuit quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni aliter prætor P. Cornelius. C N. F. Scipio, trans Iberum multa se-  
cunda prælia fecisset. Quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt.  
Prætor hæc gesserat Scipio. At idem postea Proprætor acerrimum illud præmium cum Lusitanis gessit, de quo superius multa diximus, cum qualisnam gens Lusitanorum esset, di-  
spataremus.

L. Corn. Scipione, qui postea Asiaticus appellatus est, & C. Lælio nepote coss. Circa  
vrbis annum DLXI IIII. Lusitani L. Æmilium Paulum Proprætorem, cum vniuerso exer-  
citū ceciderunt, in qua pugna ipsum Æmilium interisse dicit Orosius, qui eum Procon-  
sulem vocat. Nescio quem fecerit us auetorem.

Non enim interiit, cum post hanc pugnam, iterum collatis signis, ingenti clade Lusita-  
nos affecerit, & postea bellum Macedonicum cum magna gloria gesserit, ut idem Orosius  
fatur eodem capite, nisi alium existimauerit, cōstat autem ex Liuio eundem fuisse. Nam  
quod Orosius illum Proconsulem vocat, id forte est, quoniam in Hispaniam sibi decre-  
tam prouinciam, non cum sex tantum securibus, aliorum Prætorum more, sed cum duo-  
decim honoris causa missus est, ita ut dignitas consularis in imperio eius inesset, ut in ipsius  
vita narrat Plutarchus.

Sed præstat Liuium audire libro septimo quartæ decadis: *Huius triumphi* (videlicet M.  
Acilii Glabronis de Attolis) minuit letitiam, nuncius ex Hispania tristis, aduersa pugna in Vascetanis  
ductu L. Æmilii Proprietoris apud oppidum Lyconem, cum Lusitanis sex millia de exercitu  
Romano cecidisse, ceteros pauentes intra vallum compulsoſ agre caſtra defendisse, & ad modum fu-  
gientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos.

Quæsiuit aliquando à me Ioannes Vasæus vir doctus, ac diligens, cum Hispanicarum  
rerum chronicon commentaretur, quo nam arbitrarer esse Vascetanos, in quibus tam insi-  
gnem victoriam adepti essent Lusitani.

Respondi, videri mihi lectionem non nihil fuisse depravatam, litterarum commercio,  
legendumque in Baetianis. Nam solebant nonnulli B. eo sono, quo. V. cum est consonans,  
pronunciare, ut etiam modo Græci, & Hispanorum plerique. T, vero minutiore littera  
(qua nunc utimur) scriptum, facile mutari potuit in C. Vascetanos enim in ulteriore Hi-  
spania populos, scire me nullos, immo neque in citeriore. Vesci oppidum Fauentiam co-  
gnominatum legi apud Plinium, in Baetica, & apud Ptolemæum ex quo Vescitani fieri po-  
tuisse, si de oppidanis, non autem de populis sermo esset. At Liuius populos intellexit, in  
Vascetanis, inquiens, apud oppidum Lyconem. Quod oppidum si extaret, aut saltem nominis  
vestigium, exiguae esset operæ lectionem veram agnoscere, interea placere mihi Baetianos  
pro Vascetanis substitui.

Sed ut redeamus ad Liuium circa eiusdem libri finem de P. Junio Bruto in ulteriore  
Hispaniam missio. C N. Manlio. C N. F. Vulsone. M. Fulvio. M. F. Nobiliore Coss. circa vrbis  
annum DLXV. Profectusq. in Hispaniam est. P. Junius Proprætor, in qua prouincia prius aliquan-  
to, quam successor venisset, L. Æmilius Paulus, qui postea regem Perseam magna gloria vicit, cum  
priori anno haud prospere rem gessisset, tumultuario exercitu collecto, signis collatis, cum Lusitanis pu-  
gnavit. Fusi, fugatiq. sunt hostes, cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia, CCC. capti, & ca-  
ſtra expugnata. Huius victoriæ fama, tranquilliores in Hispania res fecit.

Lucium Æmilium Paulum de Lusitanis propter hanc victoriam triumphasse opinan-  
tur nonnulli ex verbis Velleii Paterni libro priore. *Tum Senatus, Populusq. Romanus. L. Æ-*  
*milium, Paulum, qui, & prætor, & Consul triumphauerat, virum in tantum laudandum, in quantum*  
*intelligi virtus potest. Consulem creauit filium eius Pauli, qui ad Cannas, &c.*

Sed Liuius post narratam hanc de Lusitanis victoriam, supplications, inquit, deinde fue-  
runt, ex S. C. *Quod Lucius Æmilius in Hispania prospere rem gessisset. De triumpho non memi-*  
*nit. Neq; Plutarchus in hominis laudem mire propensus. neq; item Capitolinæ. M. Verii*  
*& Flacci tabulæ.*

Onuphrius autem Veronensis in commentario virorum triumphalium, ex Paterni  
ā memodo citatis verbis, & basi Capitolina quadam, atque aliquot nummis, non male vi-  
detur colligere illum triumphasse.

*Huius victoriæ fama, inquit Liuius, tranquilliores in Hispania res fecit, verum non diu, Nam*  
C. Catinius, & L. Manlio in Hispaniis Rempub. gerentibus, circa annum ab urbe condita  
DLXVIII. in citeriore prouincia Celtiberi, in ulteriore Lusitani armis Romanorum so-  
cios vexabant, eorumque agros populabantur. Sp. Posthumio Albino. Q. Martio Philip-  
po Coss,

C. ergo Catinius, qui cum biennio ante Prætor in ulteriore prouincia esset profectus,

& tum ex prōrogato imperio eam Proprætore obtineret, in Astensi agro' cum Lusitanis signis collatis pugnauit. Ad sex millia hostium sunt cæsa, vt refert Liuius libro nono quartæ decadis, ceteri fusi, fugati, castrisq; exuti.

Catinius inde ad Astam oppugnandā legiones duxit, eamq; haud multo maiore certamine cepit, quam castra, sed dum incautius subit muros, iictus, ex vulnere paucos post dies mortuus est. Quare cognita Senatus censuit, vt C. Calpurnius Piso, qui erat successurus maturaret proficisci, ne sine imperio prouincia esset.

Profecti igitur, C. Calpurnius Piso in vltiorē Hispaniam, propter Lusitanorum motus, in citeriorem, L. Quintius Crispinus, primo vere ex hibernis eductas copias, in Bætria iunxere. Ea est pars Bæticæ à Marianis montibus ad Anam pertingens.

Inde in Carpetaniam, vbi castra erant hostium, progressi sunt, communi animo, consilioque parati rem gerere, haud procul Hippone, & Toletu vrbibus, inter pabulatores pugna orta est.

Quibus dum vtrimeque subuenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine, & loca sua, & genus pugnæ pro hoste fuere, ait Liuius libro nono decadis quartæ. Duo exercitus Romani fusi, atq; in castra compulsi sunt. Non institere percussis hostes.

Prætores Romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis tacito signo exercitum abduxerunt.

Luce prima Hispani acie instructa ad vallum accesserunt, vacuaq; præter spem castra ingressi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant diripuerunt, regressiq; in sua castra paucos dies quietis statuimus manserunt. Romanorum sociorumque in prælio fuga, & ad quinq; millia occisi, quorū se spoliis hostes armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti sunt. Ita Liuius.

Prætores posthac cum omne id tempus contrahendis sociarum ciuitatum auxiliis, recreandisq; ab terrore aduersæ pugnæ militum animis consumpsissent, suppleto exercitu iterum collatis signis atrox prælium inierunt; hinc inflatis recenti victoria Hispanis, illinc Romanis militibus priore ignominia accensis. Cæsi Hispani adeo, vt ex numero supra xxxv. millium, quatuor millia effugerint, tria tantum millia, qui arma retinuerunt, in propinquum montem se receperint, mille semiermes per agros palati sint.

Romani, sociiq; paulo plus sexcenti, & prouincialium auxiliorum c. L. ferme cedebunt, Tribuni militum quinq; amissi, & pauci equites Romani. Pro concione postero die laudati, donatiq; phaleris, catellis, & fibulis, equites, & centuriones, quorum maxime opera fusi essent hostes.

Hæc eo anno, quo App. Claudius M. Sempronius Coss. fuerunt, sunt gesta.

In sequenti anno, quo P. Claudius L. Porcius erant Coss. in Hispania vltiore, fractis proximo bello Lusitanis, res quietæ fuerunt, vt tradit Liuius.

Ex quo intelligimus prælia duo, quæ paulo ante retulimus, cum Lusitanis, ac Celtiberis fuisse. Id etiam ex eo patet, quod veteres Prætores C. Calpurnius Piso, & L. Quintius Crispinus, qui eas pugnas pugnauerant, Romam cum rediissent, vtrique magno Patrum consensu triumphus est decretus. Prior C. Calpurnius de Lusitanis, & Celtiberis, paucos post dies L. Quintius ex iisdem Lusitanis, ac Celtiberis triumphauit.

In sequenti anno vltior Hispania in pace fuit, quia P. Sempronius Longus, cui ea decreta erat, diutino morbo esset implicitus, & nullo lacestante per opportune quieuerant Lusitani. Hæc Liuius in fine libri noni quartæ decadis: Ex quo etiam patet illa tempestate belli, pacisq; momenta præcipue penes Lusitanos fuisse.

Inde Coss. Cn. Bæbio Pamphilo, L. Æmilio Paulo, anno ab urbe condita' D LXXII. P. Manlio Hispania vltior obuenit, quam & priore prætura obtinuerat, inquit Liuius, quæ tunc P. Sempronii Proprætoris morte, sine imperio fuerat. Is secunda aliquot prælia cum Lusitanis fecit, quæ Liuius non explicat. A. Posthumio Albino, & Calpurnio Pisoni Coss. Hispanias sortiti Prætores, L. Posthumius Albinus posteriorē, citeriorem Tib. Sempronius Gracchus. Qui bene regesta, centum quinque oppida ad ditionem coegit.

L. autem Posthumium eadem æstate in Hispania vltiore bis cum Vaccæis egregie pugnasse, & ad xxxv. millia hominum occidisse, scribit Liuius.

Codicem ego Liuii manu scriptum ab amico quodam accepi, in quo non *cum Vaccæis*, sed, *cum Bracariis* habebatur, sicut & in Badiana editione legitur, probante Henrico Glareano docto, ac diligentι homine. Hoc aliquando Ioanni Vasco indicaui, eramque in eam lectionem propensus, videlicet, quia in vltiore Hispania Vaccæi non sunt, Bracari autem,

iuxta

lūcta vetustiōrem terminationem, sicut & nostro ~~zuo~~ ad Lusitaniam pertinuerint. Quod si ita esset, emendari oporteret Liui quoque epitomen, libro quadragesimo primo, ac pro Vaccæis, reponendi Bracari.

Verum postea expendens Liui paulo superius verba. vbi sic scribit: *Eodem anno in Hispania L. Posthumius, & Tib. Sempronius Propræ. comparauerunt ita inter se, ut in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiam reueteretur Gracchus, quod maius ibi bellum esset, in ultima Celtiberia penetravit; non audeo quidquam immutare.*

Videtur enim Liuius finem consilii, quo inter Proprietores contuenerat, posuisse; nempe, vt in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, sicut & Tib. ipse Gracchus Mundam ultioris prouinciaz vrbum oppugnauit, ac cepit. Ita enim è rep. fore vterq; existimauit.

Gracchus Prætor ibidem iterum ducēta expugnauit, & cepit. Ibidem, hoc est, in citeriore Hispania, iterum quia iam ibi centum quinque ad deditio[n]em coegerat. ergo in citeriore, non in vteriore prius legendum.

Quoniam igitur modo in vteriore Hispania gesta res fuisse narratur. Videlicet quia Proprietor vterioris erat Albinus, & finitimi Lusitanis, Asturibusque Vaccæi, vti superiore libro, cum terminos Lusitanæ definiebamus ex Strabone ostendimus, etiam si eas pugnas idem extra Lusitaniam Albinus pugnauerit.

Nisi & illic emendandus Liui codex sit, vt legatur, *in Bracaros per Lusitaniam iret Albinus.* Nam si cum Vaccæis, & non cum Bracaris, hoc est, cum Lusitanis ex pugnæ fuissent, quo iure Posthumio Albino de Lusitanis decretus est triumphus, non autem de Vaccæis? Verba Liui hæc sunt decadis quintæ lib. primo: *Triumphi ex Hispania, deinde duo continuo acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, sociisque eorum, postero die L. posthumius de Lusitanis, aliisque eiusdem regionis Hispanis triumphauit.* Docti ex auctoritate. Vnum addam, apud Orosium perperam mutatas esse prouincias. Tiberium enim Sempronium in vteriore Hispania centum quinque oppida, vt vetus habet codex, non centum quinquaginta, vt vulgata editio, ad deditio[n]em coegisse scribit. Eadem autem æstate L. Posthumium in citeriore quadraginta millia hostium bello interfecisse. Triumpharunt anno ab vrbe condita quingentesimo septuagesimo quinto.

Quinto Opimio Nepote. Lucio Posthumio Albino Coss. circa sexcentesimum vrbis annum à Lusitanis per arma vexatos fuisse Romanos, scribit Iulius Obsequens in libello de prodigiis. Quamquam Consulū prænomina perperam sint posita. Quinti enim prænomen Opimio fuit, Lucii vero prænomen Posthumio, vt patet ex tabulis Capitoliniis, sic *Q. Opimius Q. F. Nepos. L. posthumius. S. P. F. L. N. Albinus.*

Posthumio tamen in magistratu mortuo, in eius locum M. Acilius Glabrio suffectus est. Eodem auctore, M. Marcello, & L. Valerio Coss. in Lusitania varie pugnatum. Consentit epitome Liui. 46. Hi autem Coss. M. Claudius Marcellus, & L. Valerius Flaccus fuere, Anno ab vrbe condita. D C I.

His Coss. L. Mummi L. F. L. N. Proprietorem de Lusitanis triumphasse ostendit in Iberico Appianus, & qui in Capitolinas tabulas commentarios edidere.

Mendoza legitur apud Eutropium l. b. 4. *L. Memmius in Hispania bene pugnauit.* Nam cum hic sit, qui postea à deuidis Achæis, & Corinthiis, Achaicus sit appellatus, certum est, Achaicum L. Mummi L. F. L. N. fuisse, non L. Memmum.

Per hæc ipsa tempora L. Licinio Lucullo, Aulo Posthumio Albino Coss. Hispaniense bellum. cum parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset ciuitatē Romanam, vt ne illi quidem inuenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Scipio Æmilianus. L. Pauli F. Africani nepos, sed adoptiuus, qui & ipse postea Africanus est appellatus, processit, & excepturum se militæ genus quodcumque imperatum esset, professus est. Quo exemplo ad militandi studium omnes inuitauit.

Iisdem Coss. Sergius Sulpicius Galba prætor, male aduersus Lusitanos pugnauit, inquit Liuii abbreviator. Quam rem superiori volumine à nobis tactam hic suo loco latius repetere est visum, ex quarto Orosii libro capite trigesimo primo.

Sergius autem Galba Prætor à Lusitanis magno prælio victus est, vniuersoq; exercitu amissio, ipse cum paucis vix elapsus evasit, ex qua ignominia, cum vlcisci se postea Galba statuisset, immane, ac plusquam barbarum facinus perpetrauit. Quod Orosius ita narrat: *Igitur in Hispania Sergius Galba prætor, Lusitanos circa Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditio[n]em receperit, per scelus interfecit. Simulans enim de cōmodis eorum se acturum fore, circumpositis militibus, cunctos inermes, incautosq; prostrauit. Quæres Hispania vniuersa, propter Romanorum perfidiam, causa maximitum tumultus fuit.* Valerius Maximus lib. 9. capite de perfidia sic ait. *Sergius quoque Galba summe perfida. Trium enim Lusitania ciuitatum, connocato populo, tamquam*

*de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentatis consistebat, electa, & armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit. Quo facinore maximam cladem (codex manuscriptus habet partem) barbarorum magnitudine criminis antecepit. Accusauit acriter M. Cato Galbam, pro imperfectis cōtra interpolitam fidem Lusitanis, ut testatur in Bruto M. Tullius, & obiter in diuinatione, quod explicat apertius Asconius Pædianus, & Liuui epitome libro quadragesimo nono.*

Ætatis autem nonagesimum annum agebat Cato, teste Liuio decad. quartæ lib. 9. cum Galbam accusauit, ardenter oratione, quam in Origines suas retulit.

Reus vero Galba, cum se damnari videret cōplexus duos filios prætextatos, & C. Sulpitii filium cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. 10

*Misericordia ergo, inquit, lib. 8. cap. 1. Valerius Maximus, illam questionem, non aquit aste-  
xit. Ceterum de prænomine Galbae, quod alias Seruius, alias autem Sergius habetur, si quis  
forte inquirat, nescio an facere satis omnino possim.*

Nam Cicero loco à me citato Seruium habet, Pædianus, & Orosius Sergium. Epitome Liuui prius Seruium, deinde Sergium. Liuius ipse ubi de accusatione eius meminit Sergium, at libro quinto decadis quintæ, cum scribit Galbam impeditre conatum, ne de capto Rege Persæ, deuictaq; Macedonia. L. Æmilio Paulo triumphus decerheretur, ac M. Seruilius pro L. Æmilio ad populum verba facientem inducit, ubique eum Seruium Sulpicium Galbam nominat.

Valerius Maximus in altero locorum modo citatorum Sergium, in altero vero Seruium, quemadmodum lib. 6. cap. 4. de Scipione cum ait: *Seruius Sulpicius Galba, quæ varietas in impressis codicibus est. In manu autem scripto, ubiq; Seruium inuenio.*

Plutarchus in Catone Seruilium, quod parum abest à Seruio. Suetonius vero in Galba Cæsare, cuius familiam ab hoc Galba deducit, Sergium semper vocat, familiam, inquit, illustravit Sergius Galba temporum suorum eloquentissimus, quem tradunt Hispaniam obtinentem triginta Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli causam extitisse. Eius quocque filios, alterum Caium, alterum Sergium nominat. Ex quibus Tranquilli locis, in prænomen Sergium pedibus prope iam ibam, nisi me Eutropius libro septimo reuocasset. Scripto enim Neronis obitu, *hic ait, Seruius Galba successit antiquissima nobilitatis Senator.* Non ergo quieui donec Dion Græco Auctore consulto, libro quinquagesimo septimo, inueni Seruium, non Sergium ab illo nominari. Quare magis ad Seruii prænomen animus iam inclinat. Varietatem autem ex compendio scribendi euenissem puto. Nam prænomina cum fere compendio notentur, factum est, ut SER. à quibusdam Seruius, ab aliis autem Sergius legeretur. Sane tamen SER. magis Seruium notat, quam Sergium, ut fert mea opinio. Ego Sergium prænomen quatuor litteris scribebam, sic. SERG. vt Dionem video fecisse initio eiusdem libri.

Quod si opinioni huic meæ obiciatur etiam tribum SERGIAM. litteris tantum tribus scribi, & Sergiam intelligi, ut in Tarragonensi cippo vidi. P. FABIO. P. F. SER. LEPIDO. respondebo in tam nota tribu nihil opus fuisse pluribus litteris; at in prænominis, quod ad hoc, vel ad illud trahi poterat, in Sergio quartam litteram fuisse neces- 40 sariam.

Tam ex Suetonio, quam ex Orosio Seruii Galbae perfidiam, ac crudelitatem maximam tumultus vniuersæ Hispaniæ, ac demum Viriatini belli causam fuisse didicimus, ut deridet Roma poenas impuniti Galbae, qui contra ius, etiam inter extremæ barbariæ hostes, sanctum, & inuiolabile vel nouem millium, ut Valerio placuit, vel millium triginta, ut Tranquillo, nefaria se cæde polluerit, & quem contra summi viri Catonis iustam acrimoniam trium puerorum misericordia noxa capitali exemerat. Anno igitur ab urbe condita DCVII. Cn. Cornelio Lentulo. L. Mummo Nepote Coss. Lusitanos Viriatus erexit. De quo hæc Auctores. Florus: *Vir calliditas acerrima, qui ex venatore latro, ex latrone subito dux, atque imperator, & si fortuna cessisset Hispania Romulus, non contentus liber, atem suorum defendere per quatuordecim annos omnia citra, ultraq; Iberum, & Tagum igni, ferroq; populatus, castra etiam Pratorum, & præsidum aggressus, cum Claudium Unimanum pene ad internectionem exercitus cecidisset, & insignia, trabeis, & fascibus nostris, que ceperat, in montibus suis tropæa fixisset, tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat, sed ab successore Seruilio violata victoria est. Quippe qui confidens rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditio agitantem per fraudem, & insidias, & domesticos percussores aggressus hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vincere non posse.* Iustinus: *In tanta sæculorum serie, nullus illis dux magnus præter Viriatus fuit, qui annos decem Romanos varia victoria fatigauit. Adeo ferus propiora, quam hominibus ingenia sunt. Quem ipsum non iudicio populi electum, sed ut cauendi scientem, declinandorumq; periculorum peritum, secuti sunt.*

Cuius

Cuius ea virtus, continentiaq; fuit, ut cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non deniq; victum mutauerit: sed in eohabitu, quo primum bellare caput, perseverauit, vt quinque gregarii miles, ipso imperatore etiam opulentior videretur.

Velleius in posterioris voluminis initio: Triste deinde, & cōtumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriato, secutum est, quod ita varia fortuna gestum est, ut sapient Romanorum gereretur aduersa. Sed interempto Viriato fraude magis, quam virtute Seruili Capionis, Numantinum granum exarset.

Eutropius: Quintus quoq; Cæpio ad idem bellum missus est, quod quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus à suis interfectus est, cum quatuordecim annos Hispanias aduersus Romanos mouisset. Pastor primo fuit, mox latronum dux, postremo tantos ad bellum populos concitauit ut adseror contra Romanos Hispaniae putaretur.

Plinius in libello de viris Illustribus: Viriatus genere Lusitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad postremum dux, bellum aduersum Romanos sumpsit, eorumque Imperatorem Claudium Unimanum, deinde C. Nigidium oppresit. Pacem à Popillio maluit integer petere, quam victus: & cum alia dedisset & armare retinerentur, bellum renouauit. Cæpio cum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perirent. Quæ victoria, quia empta erat, à senatu non fuit probata.

Orosius libro quinto capite quarto: Viriatus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis, & latro, primo insectando vias, deinde vastando provincias, postremo exercitus Prætorum, & consulium Romanorum vincendo, fugando, subigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Iberum, & Tagum maxima, & diuersorum locorum flumina late transgradienti & peruaganti, C. Vetus Prætor occurrit. Qui continuo cæso usque ad internacionem pene omni exercitu suo, vix ipse Prætor cum fuga lapsus euasit. Deinde C. Plautium Prætorem ipse Viriatus multis præliis fractum fugauit. Post etiam Claudius Unimanus cum magno instructu belli contra Viriatum missus, quasi pro abolenda superiore macula, turpiorem ipse auxit infamiam. Nam congressus cum Viriato uniuersas, quas secum adduxerat copias, maximaq; vires Romani amisit exercitus. Viriatus trabeas, fasces, certaq; insignia Romana, in montibus suis tropæa præfixit. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua septuaginta Lusitanos, Romanos autem trecentos viginti cecidisse, Claudius refert. Et cum victores Lusitani sparsi ac securi abiissent unus ex iis longe à ceteris segregatus, cum à circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus, unius eorum equo lancea perfozzo ipsius equitis ad unum gladii iecitum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, ut prospicantibus cunctis ipse contemptius, atq; otiosus abscederet. Et paulo post: L. Cæcilio Metello. Q. Fabio Max. Seruiliiano Coss. Igitur Fabius consul contra Lusitanos, & Viriatum dimicans, Bacciam opidum, quod Viriatus obsedebat, depulsi hostibus liberavit, & in deditioinem cum plurimis aliis castellis recepit. Fecit facinus etiam ultimus Barbaris Scythia, non dicam Romane fidei, & moderationi execrabile. Quingentis enim principibus eorum, quos societate invitatos, deditioinis iure suscepereat, manus precidit. Pompeius sequentis anni Consul fines Numantinorum ingressus accepta maxima clade discessit, non solum exercitu pene omni profligato, verum etiam plurimis nobilium, qui ei militiae aderant, interemptis. Viriatus autem cum per quatuordecim annos Romanos duces, atque exercitus prouisisset, infidus suorum interfectus est. In hoc solum Romanis circa eum fortiter agentibus, quod percussores eius indignos præmio iudicarunt.

Sex. Iulius Frontinus stratagematum libro secundo capite quinto: Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simolans, usq; ad locum voraginosum, & præaltum eos perduxit, & cum ipse per solidos, ac notos sibi transitus euaderet, Romanos ignaros locorum, immersosq; limo cecidit. Celtiberorum illum ducem appellat, quoniam non contentus vniuersam Lusitaniam ademisse Romanis, Iberum bella transferens, Celtiberiæ etiam populos occupauit, & aduersus Romanos erexit. Multa alia in libris his magni, ac sapientis ducis argumenta Frontinus de Viriato prodidit, quæ peti inde possunt.

Epitome Liui lib. 52. Viriatus primum in Hispania, ex pastore venator, & ex venatore latro, mox iusti quoq; exercitus dux factus est, & vniuersam Lusitaniam occupauit. M. Vetus Prætorem, fuso eius exercitu, cepit. Post quem C. Plautius Prætor nihil felicius rem gesit, tantumq; terrorem is hostis intulit, ut aduersus eum consulari opus esset, & duce & exercitu. Et lib. 45. Quintus Fabius Proconsul, rebus in Hispania prospere gestis laborem imposuit pace cum Viriato aquis conditionibus facta. Viriatus à proditionibus, consilio Seruili Capionis interemptus est, & ab exercitu eius multum imploratus, ac nobilissime tumulatus, vir, duxque maximus per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gesit, frequentius superior. Hæc scriptores de Viriato, quem omnes latronem, latronumq; ducem fuisse dicunt, quemadmodum Strabo lib. 3. Noster quoq; Cicero libro de officiis secundo: Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus parent, quas obseruet. Itaq; propter equabilem præda partitionem, & Bargulus Illyricus, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit,

& multo maiores Viriatus Lusitanus, cui quidem exercitus nostri imperatoresq; cesserunt. Quem C. Lælius, is qui sapiens usurpatur, Prator fregit, & comminuit ferocitatemq; eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet.

Vbi quoque aduertendum, quam Viriati attenuet summus Orator victorias: *Cui quidem exercitus nostri imperatoresq; cesserunt. Cesserunt verecunde, inquit quidam, cu vicos significet. At vero C. Lælium quo ambitu, qua verborum amplitudine attollit? fregit, & comminuit ferocitatemq; eius repressit.* Et in Bruto: *Egregium Viriati bello reperimus fuisse Lælium.* Atqui nisi Seruilius Cæpicio Lælii in consulatu collega, pecunia, qui Viriatum interimerent corrupseret, nondum sane debellatum erat. Alioqui quid est quod ait Plinius, *Cæpicio cum vincere alter non posset, duos satellites pecunia corruptit, qui Viriatum humi depositum perimerent.*

Redeo ad latronis nomen. Mihi videtur inuidiosius id à Romanis in magni viri odium inculcatum, latronem autem, aut latronum ducem, aliter intelligo, vt & Liuus de Masanissa decad s tertiae libro nono ait: *Inde nocturnis primo, ac furtivis incursionibus, deinde aperio latrocinio infesta omnia circa esse, maxime vero Carthaginensis ager, quia & plus præda, quam inter Numidas, & latrocinium tutius erat.* Et statim: *vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consecrari.* Latro autem vagus Masanissa erat, debitum sibi regnum reposcens. Ita ergo, cum propter Galba perfidiā, alienissimo à Romanis essent animo Lusitani, Viriato pastori primum, inde venatori, & qui mercenariam vecturam faceret, viro tamen calliditatis acerrimæ, periculorumque declinandorum perito adhædere nonnulli, cum quibus incursions, ac latrocinium aduersus Romanos, Romanorumque socios exercebat. Cu*ius felici audacit̄, cum ex Romanorum recenti iniuria multi fauerent, & copiæ indies maiores accrescerent, iusto tandem exercitu congregato, electus dux, ad bellum iam intrepide, patriamque liberandam, non autem ad latrocinium processit.* Quippe cuius miram virtutem, continentiamque adeo Iustinus prædicet, vt tantis rebus gestis, neque cultoribus armis, quam ceteri, sit usus, neque vestitum, neq; victimum mutauerit, vt quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur. *Quæ animi moderatio in latronum moribus esse non solet.*

Interfectio Seruilius Cæpionis opera à duobus domesticis satellitibus Viriato, cum interfectores eius præmium à Scipione Consule peterent, responsum est, *numquam Romanis placuisse, imperatores à suis militibus interfici, vt ait Eutropius.* Duplicem in eius cæde perfidiam accusat Valerius Max. lib. 9. cap. 6. alteram amicorum eius, quod eorum manibus interemptus; alteram Q. Seruilius Cæpionis, quod is sceleris huius auctor, promissa impunitate fuerit, victimamq; non meruerit, sed emerit. Imperatores igitur Romani quos Viriatus deuicisse legitur, fuere hi. Prætores C. Vetilius, vt Orosius, siue M. Vetilius, vt epitome Liuui habet. C. Plautius, Cl. Vnimanus. C. Nigidius, cum M. Popillio Lænate, tunc Prætor, vt arbitror. Nam consulatum non init; nisi post Quintum Seruilium Cæpionem, quo agente domesticis insidiis periit Viriatus. Cum Popillio ergo, adhuc integer de pace agitauit. Sed quia tradere arma poscebatur, quod ea res videretur victi esse, confessio bellum renouauit. Cum Lælio varie pugnauit: nam si eum Lælius tam fregisset, quam in eius gratiam iactat Cicero, nequaquam censuisset Senatus, vt bellum aduersus Viriatum, non iam per Prætores, sed per Consules administraretur.

Cum Q. Fabio Maximo Consule etiam varie pugnauit. Cum eodem postea Proconsule varie quoque. Quare cum eo Fabius æquis conditionibus pacem fecit, cum tamen bonam ei Lusitanæ partem ademisset. Vnde labem prospere gestis à se rebus imposuisse Fabius est iudicatus. Proconsul tum erat Fabius, vt patet ex Liuui Epitome. Emendandus est Flori Locus paulo ante citatus. *Tandem cum Fabius Maximus Consul oppresserat.* Sine dubio enim legendum *Proconsul.* Nam Fabius anno vrbis DCXII. Consul fuit. Postquam fure Cn. Seruilius Cæpicio, & Q. Pompeius Rufus. Quorum anno prorogatum Fabio imperium est, vt Proconsule aduersus Viriatum ex parte affectum bellum tandem conficeret. Anno sequenti designati Coss. C. Lælius Sapiens, & Quintus Seruilius Cæpicio auctor cædis Viriati, vt ex Eutropio ostensum ante est. Igitur pace rursus turbata futurus victor apparebat Fabius, nisi Q. Seruilius Cæpicio, qui post Cn. Seruilius Cæpionem fratrem, & Q. Pompeium Rufum Consul est designatus, bellique cum Viriato successor, insidiis victimam corrupisset.

Manent adhuc in Lusitania aliquot monumenta militum Romanorum, qui in Viriatino bello occisi sunt, vt in territorio Eborense, Pomariensi prædio, hoc cuius ego testis sum oculatus.

L. SILO. SABINVS. BELLO. CONTRA. VIRIATVM. IN EBOR.  
PROV. LVSIT. AGRO. MVLTITUDINE. TELOR. CONFESSVS

AD. C.

AD. C. PLAVT. PRÆT. DELATVS. HVMERIS. MILIT. H. SEP.  
E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. NEMIN. VELIM. MECVM.  
NEC. SERV. NEC. LIB. INSERI. SI. SECVS. FIET. VELIM.  
OSSVA. QVORVM QVOMQ. SEPVLRCRO. MEO. ERVI. SI. PA-  
TRIA. LIBERA. ERIT.

Id est,

*Lucius Silo Sabinus bello contra Viriatum in Eborense prouincia Lusitanie agro multitudine telorum confosus, ad Caium Plautinum prætorem delatus humeris militum, hic sepultus est. pecunia mea mibi fieri iussi, in quo neminem velim tecum, nec seruum, nec liberum inseri. Si secus fiat, velim ossa quorum quomque sepulcro meo erui. Si patria libera erit.*

Honoratus Ioannes Valentinus, vir & natalibus, & luculentâ eruditione nobilis, & hoc & tria, quæ subiiciam à Floriano Campensi accepta mihi Olyssipone ostendit. Sed ego illi hoc emendatius tradidi. Alterum etiam ibidem simul inuentum esse narrabat, quod ego et si diligenter perquisiui, hactenus tamen inuenire non potui, esse autem ferebat istiusmodi

Q. LONGINV. TARTAREO. ABSORPT. HIATV. ANTE. TEM-  
PVS. ARM. HOST.

IN. CAMPIS. LVSITAN.

M. REGVLVS. TRIB. MIL. MAR. SARCOPH. OSSA. CONTE-  
XIT. VALETE. MILIT. ROMANI.

Hoc est,

*Quintus Longinus tartareo absorptus batus ante tempus armorum hostilium in campis Lusitanie Marcus Regulus Tribunus militum marmoreo sarcophago ossa contexit. Valete milites Romani.*

Et hoc prope Visum urbem:

L. AEmil. L. F. confect. vulnera Host. sub  
Nigidio. Coss. cont. Viriatum Latronem  
Lanciens. quorum Remp. tutar. basim  
Cum vrna, & statuam in loco publico erex.  
Honoris. liberal. que ergo.

Hoc est,

*Lucio Aemilio Lucii filio, confecto vulnera hostili sub Nigidio Consule contra Viriatum Latronem, Lanciens, quorum Remp. tutar. basim cum vrna, & statuam in loco publico exerunt honoris liberalitatique ergo.*

Hoc quoque neque ego vidi, neq; C. Nigidium Consulē Viriatino bello fuisse inuenio, nisi consulari potestate bellum gessisse dicamus, quem à Viriato oppressum dicit Plinius. Fertur etiam testamentum Gallii Fauonii, quod retulit Marrianus in urbis descriptione in Lusitania repertum, quod ab Iacobo Simoneta Pisaurensi Episcopo, & Rotæ auditore, se accepisse ait in hęc verba.

EGO GALLVS FAVONIVS IVCVNDVS  
P. FAVONII F.

*Qui bello contra Viriatum occubui, locundum, & Pudentem filios ē me & Quintia Fabia coniugē mea ortos, & bonorum locundi patris mei, & eorum quæ ipse mihi acquasiui, hæredes relinquō, hac tamen conditione, ut ab urbe Roma hac veniant, & ossa hinc mea intra quinquennium exportent, & via Latina condant, in sepulchro iussu meo condito & mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque seruum, neque libertum inseri, & velim ossa quorumcunque sepulchro statim meo eruantur, & iura Romana seruentur, in sepulchris, ritu maiorum reuinendis voluntate testatoris. Et si secus fecerint, nisi legitima orientur causa, velim ea omnia quæ filii meis relinquō, pro reparando templo Dei Siluani, quod sub Viminali monte est, attribui. Manesque mei à Pontifice maximo & à Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt opem implorent, ad liberorum meorum impietatem vlcifendam. Teneanturque sacerdotes Dei Siluani me in urbem referre, & sepulchro meo condere. Volo quoque vernas qui domi meae sunt omnes à Prætore Urbano liberos cum matribus dimitti, singulisque libram argentipuri, & vestem in unam dari. in Lusitania in agro. viii. cal. Quintileis bello Viriatino.*

Tomus II.

K k k k

Testamentum hoc paulo diuersius mihi. Honoratus Ioannes Floriani Campensis manu descriptum communicauit hoc modo.

**E G O G A L L V S F A V O N I V S I O C V N D V S**

Qui bello cont. Viriatum occub. Iocundum. & Pudentem  
fil. ex test. herr. relinqu, & honor. Iocundi  
patr. mei, & eor. quæ mibi adquæsiui. hac  
tamen conditione, ut ab urbe Roma huc ve-  
niant, & ossa mea intra quinque. è Lusitan. 30  
export. via Latina condant, sepulch. marm.  
cond. mea voluntate, si secus fec. nisi legitimi-  
ma orient. causa, velim ea omn. quæ fili.  
relinquo, pro templo Dei Siluanireparando  
adtribui. Manesque mei opem à Pont. max. &  
Flaminum Dial. qui in Capitolio sunt imple-  
rent, ad impiet. contra fili. vltisendam.  
Teneanturque sacerdd. Dei Siluani me in  
urb. referre, & sepulch. me cond.  
Velim quoque quotquot domi meæ verne  
sunt, liberos à Pratore cum matribus dimit-  
ti, singul. que libram arg. & uestem dari.

Act. vi. Kalend. Quint. .... R. Galba. Q. A V R E L. Coss.

D E C V R R. Transcudani hoc testam. ore eiusd.

Galli F A V. emiss. lapide iussere adsculpi.

Displacent tamen mihi affecta hic aliquot compendia contra seculi illius morem. Ac nescio, an ita in marmore sit, an magis ita Florianus tradere voluerit, quo antiquitatem suo iudicio maiorem representaret, si lectori mutilatis dictiōibus negotium facesseret.

Onuphrius Panuinius in primo fastorum anno urbis conditæ DCX. huius etiam meminit: *Horum, inquit consulum mentio est in testamento Galli Favonii secundi, qui bello Viriatino ce- 30 cedit, ita: ACTVM. VI. KAL. QUINTILEIS. SER. GALBA. L. AVRELIO Coss. & de Viriato satis iam multa.*

Decius inde Junius Brutus. M. Junii Penni filius, cum circa urbis annum. DCXVI. vnà cum P. Corn. Nasica qui Serapio appellatus est, consulatum gereret, in Hispaniam venit, & iis qui sub Viriato militauerant, agros, oppidumque dedit, quod Valentia nuncupatum est. Ex epitome Liuii. Meminit etiam huius rei Sabellicus quintæ Æneados lib. nono. Et nos in Vincentio Martyre, ut liqueat à Lusitanis ceterisque Viriati militibus Valentiam esse conditam & nominatam. Fabulam vero inanem esse, eam conditam ante Romam, & Römi appellatam à Romo Regé nescio quo, apud commentitium Manethonem reperio. Quæ tamen fabula Floriano Campensi, & quibusdam ex neotericis Hispanicarum antiquitatum scriptoribus non displicuit.

Brutus igitur hic Lusitaniam, usque ad Oceanum perdomuit. Quamquam, ut Valerius Maximus libro sexto capite quarto ait, *Pane tota se ei sponte dediderat, prater Cinauiam urbem; quæ pertinaciter armaretinebat;* vt ei in superioribus diximus, cum qualisitam gens Lusitani fuissent, differuimus. Adortus etiam Bracaros Callæci gentem Callaicoru, qui Lusitanis auxilio venerant. sexaginta millia bello asperrimo, atque difficulti, quamuis incertos circumuenisset, oppressit, in eo prælio, inquit Orosius, libro quinto capite quinto, quinquaginta millia occisa, sex millia capti referuntur, pauci fuga evasere. Propter hanc 50 igitur de Callaicis, & Bracaris victoriā, Callaici cognomen non autem à cætera Callæcia Brutū esse adeptum, hinc colligo, quod Strabo libro tertio, vbi annis Minii mentionem fecit, ita scribit: *Hic expeditionis Brutii terminus est.* Negligenter enim vertit interpres; *Bruti Prætræ terminus,* obiterque notandum iam non Consulem Brutum, sed Proconsulē, illic rem gessisse eoque tempore illi ad Limiam contigisse; quod supra retulimus, cū Bracarorum flumina recenseremus.

Triumphauit autem de Lusitanis, & Callæcis, anno urbis DCXVII. quod in tabulis Capitoliniis ita notatur.

D. IVNIUS. M. F. M. N. BRVTVS. CALLAICVS. ANNO  
DCXVII. PRO: COS. DE LVSITANEIS. ET CALLAICEIS. EX  
HISPANIA. VLTERIORE:

Hoc

Hoc est: Decius vel Decimus Iunius, Marci filius, Marci nepos Brutus Callaicus anno sexcentesimo decimo septimo Proconsul de Lusitanis & Hispania ulteriore. An. ab urbe condita DCXIV. Q. Seruius Cæpio. Q. Seruilii Cæponis superioris filius CN. nepos, Proprætor de Lusitanis, & Hispania ulteriore triumphauit. At anno DCLIX. P. Rutilio Rufo: CN. Manlio Coss. exercitus Romanus à Lusitanis cæsus. Quod nisi à Iulio Obsequente quatuor tantum verbis esset notatum, per ceteros Romanos scriptores penitus ignoraremus. Tametsi de non minibus Consulum Obsequens & Cassiodorus non nihil variant, sed ego Onuphrio Panuinio, qui eam rem exquisitus indagauit, adhæreo.

Anno inde conditæ vrbis DCLII. C. Mario IIII. Q. Luctatio Coss. deuictis Lusitanis pacatam ulteriorem Hispaniam, scribit Obsequens. Non tamen à quo deuicti sint, expressit. Opinatur Panuinius à D. Iunio Syllano, propter Sexti Rufi verba: *Rebellantes in Hispania Lusitanos, per D. Brutum obtinuimus, & usq. Gades ad Oceanum peruenimus.*

Post ad Hispanos tumultuantes Syllanus missus, eos vicit; ego tamen & Obsequentis, & Rufi verba aliter intelligo. Nempe deuictis à Bruto Lusitanis, ulteriorem Hispaniam fuisse pacatam, usque ad Gades, & Oceanum. Syllanum vero ad tumultuantes Hispanos missum non autem singillatim ad Lusitanos. Ad quos autem tumultuantes missum intelligat non explanauit. Verum quia Panuinio & cæteris tabularum triumphalium explicatoribus ita videtur, ab illis non discedamus.

Anno vrbis DCLV. L. Cornelius Dolabella de Lusitanis triumphauit. Quod Verrius Flaccus citabat ait ostendunt.

L. CORNELIVS. L. F. L. N. DOLABELLA. PRO. COS. EX HISPANIA. ULTERIOR. DE LVSITAN. V. K. FEB.

Hoc est,

*Lucius Cornelius, Lucii filius. Lucii nepos Dolabella, Proconsul ex Hispania ulteriore de Lusitanis quinto Kalen. Februarii.*

Quinto post anno, id est, ab urbe condita DCLX. P. Licinius Crassus de Lusitanis triumphauit, testatur hoc Verrius Flaccus, sic.

P. LICINIVS. M. F. P. N. CRASSVS. ANNO. DCLX. PRO.  
COS. DE LVSITANEIS PRID. IDV. IVNI.

Hoc est,

*Publius Licinius, Marci filius, Pubpii nepos, Crassus anno sexcentesimo sexagesimo Proconsul de Lusitanis, pridie Idus Iunii. Hunc in Lusitania, & ea Callæcia parte, quæ Bracarorum est bellum gessisse, inde coniicimus, quod Strabo in calce libri tertii tradit illum etiam Cassiteridas insulas è regione Celtici promontorii pace conciliasse.*

Sexcentesimo septuagesimo tertio vrbis anno, sparso per Macedoniam, Pamphyliam, atque Dalmatiæ Romanorum bello, cum quod in Hispania erat, ob id remissius geretur, paulisper interquierant Lusitani, donec discordiis ciuilibus Sertorianorum exarsit Syllanæ proscriptionis hereditas, ut inquit Florus. Quintus enim Sertorius, vir summa quidem, sed calamitosæ virtutis, ac magnæ in rebus bellicis peritiæ dux, quod Marii partes fuerat secutus, cum proscriptus à Sylla eslet, excessit urbeatque Italia variis casibus ubique iactatus.

Cuius quia vitam, resque gestas accurate perscripsit Plutarchus, & de eo multa ciuium bellorum libro primo Appianus, & libro tertio L. Florus quinto. P. Orosius præterea sparsim Plinius junior de Illustribus viris, Valerius Maximus, Frontinus, Obsequens, & alii adnotarunt, minime opus est in ea rem laborare. Summatim ex Plutarcho, Apiano atque Orosio dicam. Adscitus ex Africa à Lusitanis cum duobus millibus, & sexcentis, quos Romanos vocabat, admixtis Afris septingentis, illinc venit, adiunxit Lusitanorum quattuor millia peditum, & equites septingentos; atque tam exiguis copiis aduersus quattuor Romanorum duces sub quibus erant peditum millia centum viginti, equum septem millia, sagittariorum, & funditorum duo millia, & vrbes innumeræ, bellum gessit, cum ipse initio viginti tantum Lusitanorum vrbes in sua ditione haberet. Validas non solù gentes, sed missos etiam aduersum se Romanos duces subegit. Cottam nali prælio ad Melarium superauit, Phidium Prætorem ad Baetin, interfecitque in ea pugna duo millia Romanorum ciuium, Domitium per Hirtuleium ducem oppressit. Qui etiam Manilium Gallie Procosse, cum tribus legionibus, & mille quingentis equitibus in Hi-

spaniam transgressum, castris, copiisq; nudauit, vt Orosii verbis dicam & pñne solum Ille-  
dam compulit refugere.

Lucium procosso. contriuit, Toranium à Metello missum cum toto exercitu deleuit. ipsum Metellum in tantam compulit necessitatem, vt L. Lollius ex Narbonensi Gallia ei ferre auxilium cogeretur, & Pompeius Magnus ex vrbe cum magna festinatione ea de causa mitteretur. Neque enim habebat Metellus, quo se verteret. Aquilum à Metello missum cum sex millibus cecidit, Pompeium iam Pyrenæos montes transgressum bello exceperit, positisque iuxta castris superior fuit, Pompeium Palantiam obsidentem vi repulit. Et castra, quæ ad Calagurrim erant, adortus, ad tria millia interfecit. Eodem Pompeio spestante Lauronem vrbum expugnauit, atque incendit, neque ille tam magnifice Lauren-  
nibus de se pollicitus, sociis pereuntibus auxilium ferre ausus est. Quibus vitam ex incensa vrbe dedit Sertorius, in Lusitaniam miserabili captiuitate traduxit. Ad Sucronem Pompeium prælio superatum fugauit, ita vt vulneratus, & ex equo prostratus, pñne interfectus, & captus sit.

Afranum qui cornu sinistrum regebat, cum Sertorianos intento in Pompeium duce pelleret, suorum intellecto periculo accurrens, facile superauit, eiusq; milites dispersos occidit. Ad flumen Turiam Pompeium male multauit, & nisi Metellus superuenisset, actum de eo erat. Vnde illa Sertorii gloriatio: *Ego puerum hunc, nisi venisset anus illa, castigatum verberibus, domum remisssem.* Memmius Pompeii quæstor, & sororis eius maritus, ad Saguntum Sertorio superante, est interfactus. Et cum magna strage victor ad Metellum usque peruenisset, pilo percussus Metellus interierat, nisi a suis pudore nimio affectis protectus esset. Didium Lælium Pompeiilegatum, qui pabulatum exierat, scribit Obsequens, à Ser-  
torianis interfactum.

Et certe Sertoriani duces fere superiores erant, præcipue Hirtuleius, qui initio Metelli antequam se Pompeio iungeret, multis præliis fatigarat tandem cum eodem Metello apud Italicam Bæticæ prouinciæ vrbum congressus, ex fiducia credo præteriorum victoriarum elatus, commissa pugna, viginti millibus amissis, victus in Lusitaniam cum paucis profugit. At Sertorius post id cum Pompeio congressus, decem millia militum eius interfecit, licet totidem & ipse amiserit, in tantamque desperationem duos egregios illos duces Metellum, atque Pompeium adduxit, vt publice Metellus præmia statuerit ei, qui Sertoriū necaret, centū argenti talenta, & viginti millia agri iugera, & si exul esset, veniam reductionemq; promitteret. Népe, vt saltē proditione consequeretur, q; armis nō poterat.

Põpeius vero querulus ad Senatū scripsit, nisi sibi pecuniæ mitteretur, se milites è prouincia deducturum. Recipiebat se in Hiberna Sertorius in Lusitaniam, vnde appetente vere, cum M. Perpenna legato suo, ad hostes usque in Celtiberiam properabat, Lusitanorum maxime opera semper usus. Hoc diserte asserit Appianus.

Eboram vero vrbum ad hie mandum peculiariter elegerat, sagaci consilio, cum fere in medio sita sit Lusitanæ, & solo fertili, vnde in omnes partes præsto esse poterat, si usus eveniret. Ibi domū, quæ adhuc extat, & luniam Donacen domesticam, & libertos tres habebat. Inde cohortē vnam ad bellum duxerat, vti docemus latius, cum ventū erit ad vrbes.

Ita prospere in Hispania bellum gerentis Sertorii, cum fama etiam Pontum compleesseret, Mithridates, si ducem rei militaris peritisimum sibi fœdere conciliasset, facilem de populo Romano victoram se adepturum pollicebatur. De qua re non pigeat lectorum consulere Plutarchum. Ex quo, & qui vir, & qua probitate fuerit Sertorius, & quo amore patriam, vnde exulabat, prosequeretur, liquido intelliget. Simul quanto digni fuerint odio Perpenna, & qui cum eo in cædē magni ducis coniurauere. Quorum tamen omniū exitus, vt proditorum esse conueniebat, miser atque infelix non multo post omnino fuit. Id breuiter atque eleganter Velleius Paterculus de Perpenna loquens commemorat: *Sertoriū inquit, inter cœnam Osca interermit, Romanisq; certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpisimam mortem pessimo auctorauit facinore.* Item Marcellinus sub libri xvi. finem: *Ad veteris Perpenna exemplum, qui post Sertoriū inter epulas obtruncatū dominatione paulisper positus è frumentis sub quibus latebat extractus, oblatusq; Pompeio, eius iussu est interfactus.* Sic decimo inchoati belli anno suorum dolis interfactus Sertorius victoram quidem Romanis dedit, verū sine vlla gloria quod non virtute, sed fraude obuenisset.

Quo interēpto Hispaniæ vniuersæ ciuitates vltro se Romanis dedidere. præter Callagurrim, & Vxamā, sed hāc Pompeius euertit illā siue Afranius, vt scribit Orosius, iugis obficio ne confectā, atq; ad infames escas, ex inopia coactā, vltima tandem cede incendioq; deleuit? siue idē Pompeius. vt in lib7. cap.6. refert Valerius. Quieuere itaq; Lusitani, ac de Hispanis tam Metellus Pius quā Cn. Pompeius magnus adhuc eques Romanus triumpharū, attīo vrbis DCL XXXII. vt tabulae referunt Capitolinæ.

Toto

Toto autem Sertoriani belli tempore nullum populo Romano vestigal ex Hispaniis fuisse, in oratione de Agrariis legibus, contra Rullum conqueritur M. Cicero.

Julius deinde Cæsar, post Vrbanam præturam, vteriorem sortitus Hispaniam, in qua prius sub Tuberone Prætore Quæstor fuerat, Lusitaniam ac Callæciam imperio Romano subdidit. De qua re non pigeat lectorem repetere, quæ ex Dione retulimus, cum de monte Herminio ageremus, secuto paulo post triumuiratu. Cæsar Gallias, Asiam Crassus, Pompeius inuasit Hispanias, quas per legatos tres, M. Petreum, L. Afraniū, & M. Varonem administrabat, donec ciuile bellum conflatum est. Ac Cæsar in Hispanias veniens, eas pro tempore quiescere coegit, M. Lepido procoff. Citeriore, Q. Cassio Lōgino Vl-  
teriorem Proprætore, obtinentibus, quo tempore ad Dirrachium Cæsar Pompeium obse-  
debat.

Is Cassius Longinus inexplebilis ataritiæ, nec ob eam obscuræ crudelitatis homo, cum se prouinciæ odio haberi nō ignoraret, magnasq; indies eius odii accessiones faceret, contra Proutiñialium offensionem, exercitus amore sese munire studebat, donatiuorum largitionib. immoderatis, & præmiorum pollicitationibus, ex rapinis, grauissimisq; oneribus. Sestertia igitur centum militib. pollicitus, Medobrigam oppidum in Lusitania, montemq; Herminium, quo Medobrigenses confugerat, expugnatuit, ibiq; Imperator appellatus, ite-  
rum Sestertiis centum milites donauit.

Anno inde ab urbe condita DCCX. Cæsar post deuictum Pompeiu in Hispanias est pro-  
fectus aduersus duos adolescentes Pompeios Magni filios, qui bellum instaurauerat. Pro-  
nior in Pompeii partes erat Lusitania, siue quia S. P. Q. R. magis eas fouebat, vt iustiores,  
siue recordatione iniuriarum Cæsari, à quo in Prætura direpti nimis hostiliter fuerat Lu-  
sitani, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, vt inquit  
Suetonius. Et paucis verbis Catulli mordacissimus Iambus innuit:

*Secunda præda Ponica, inde tertia.*

*Ibera, quam cit amnis aurifer Tagus.*

Vettonum igitur agrum, Lusitaniamq; pro Pompeio tenebat M. Petreius, antequā cum suis copiis, & equitibus, auxiliisq; totius Lusitanæ ad Afraniū in Celtiberiam proficisci-  
retur, vt irrumpentem Cæsarem pariter reprimenterent. Lusitanos Petreii beneficiarios vo-  
cavit ipse Cæsar, in primo belli ciuilis committario, quos custodię suæ causa semper habuisse  
confirmat. Fecit idem Munatius Flaccus in Bætica, Pompeiani nominis acrior quā prob-  
abilior defensor, sed id credimus Valerio Maximo libro nono capite de crudelitate. Lu-  
sitanorū enim præsidio vallatus Cæsari cum resisteret pertinaciter ad Attagam barbarum  
in modum sœuuit in eos, quos Cæsari studiosos esse comperit, & in eorū uxores ac liberos.

Videat qui velit Valerium, & Hispaniensis belli commentarium, atq; obiter Valerii co-  
dicem emendet, in quo perperam legitur: *Numatius, pro Munatius, & Attingensium pro At-*  
*tingensium.* Sufficiet hoc ex Dione ostendisse libro quadragesimo tertio ita scriben-  
te: *Audiens autem in Attaga ciuitatem magnam esse copiam commeatus.* At paucis interiectis: *Post-*  
*eaquam vero milites intra urbem recepti sunt, Munatium Flaccum ad eos misit.* Munatius ergo  
40 Flaccus vocabatur, atq; ita eum appellat Plutarchius in Catone: *Præterea, inquit cum Pompeius*  
*commendationes reis clari in Iudicis consuetas, per legem vetuisset, ac postea ipse Munatio Flacco com-*  
*mandationem scripsisset,* Cato qui in ea causa iudex erat, cum recitari coepit est Pompeii com-  
mendatio, aures matibus clausit, legi q; illa prohibuit, vt mendum quoq; sit apud eundem  
Plutarchum in Pompeio, vbi idem Catonis factum referens, *Plancum eum, non autē Flac-*  
*cum appellat.* Nisi forte iidem Munatii, tam Flacci, quam Planci appellarentur. Probabile  
est Munatiam gentem in duas familias Flaccorum videlicet, & Plancorum fuisse diuisam.  
Et ideo apud Plutarchum in Pompeio ex Flacco factum *Plancum.*

Plancorum enim cognomen aliquot ex Munatiis habuisse, liquet ex L. Munatio Plan-  
co, qui cum Lepido triumuiro R. P. C. cōsulatum gessit, & ex ope septima libri primi Car-  
minum Horatii. Præterea ex inscriptione, quam extare Caietæ Onuphrius Panuinius in  
secundum fastorum, & in libello de Romanorum nominibus, asseuerat. Ea est huiusmodi:

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS. IMPER. I-  
TER. VII. VIR. EPVLON. TRIVMPH. EX RÆTEIS. ÆDEM. SATVR-  
NI. FECIT, DE MANVBIIS AGROS DIVISIT. IN ITALIA BENEVEN-  
TI. IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM. ET RAVRICAM.

Ho est: *Lucius Munatius, Lucii filius, & Lucii nepos, Lucii pronepos, Plancus, Consul Imperator,*  
*trium Septemvir epulonum triumphauit ex Ræteis.* Aedem Saturni fecit, de manubiis agros diuisit  
Tomus II.

*in Italia Beneuenti, in Gallia colonias deduxit Lugdunum, & Rauricam.*

Sed multum ab instituto diuertimus propter Valerii locū. Redeo ad Munatum Flaccum, quise Lusitanis stipatoribus munierat, quos tamen sux crudelitatis satellites habuisse breuiter Valerius, Dion tacet, subobscure narrat Hispaniēsis belli commentarius, neque Munatii, neq; Lusitanorum facta mentione. Petreianos, Afranianosq; milites, quod assuefacti cum Lusitanis essent, eorum more pugnare solitos, scribit Cæsar in Primo belli ciuilis commentario. In tantum autem Pompeii partes fouebant Lusitani, vt etiam illo iam interfecto, filiis Cn. & Sext. Pompeiis, in omnem euentum adhæserint. Transeo Cotonem vel potius Catonem, vt alii habent codices, qui Atteguae cum Lusitanorum præsidio sub-Munatio erat, & cum Tullio legato ad Cæsarem venit.

Acerimi Pompeianarum partium defensores fuere, Philo tota Lusitania notissimus, ac Cæcilius Niger, qui cum bene magna Lusitanorum manu Hispali contra Cæsarem, pro Cn. adolescentem mire laborarunt, multas ad Baetin naues incenderunt, tandem, victum ad Mundam, sauciumq; non deseruere. Sed cum se Carteiam receperisset, secutisunt. De quo tradendo cum ciues legatos ad Cæsarem misissent, re intellecta Pompeius, vt in naues quas ibi in præsidio habebat, configueret, scapham ingressus est.

Sed pede casu funibus implicito, dū funē gladio secare nititur, *pedis plantam gladio abscidit* vt libro bellorum ciuilium secundo ait Appianus, *vel talum intorfit*, vt Hispaniensis belli commentarius refert.

Cum ab hostib. quæreretur, occurrente ad id Didio, qui Cæsarianę classis Gadib. præfectus erat, ex nauī in qua curabatur egressus est, & in Lusitaniam profugiens lectica ferrebatur. Sed vulneribus, & intorto talo cum ad fugiendum tardaretur, in itinere à Didio deprehensus, imperfectus est, *non ignau se protegens*, inquit Appianus: cuius caput Hispaniā allatum Cæsar in conspectum iussit dari populo, & sic virbe potitus est.

Lusitani, qui ex pugna superfuere, cū se ad signa receperissent, aduersus Didiū elatum ea gloria redierunt, & quotidianis cum pugnis lacescentes tripartito distributis signis, illius naues incenderunt, ipsum qui ad propellendum cum copiis processisset, prælio excipientes interfecere, omnesque eius copias deleuerunt, paucis exceptis, qui aut in scapha, quæ ad littus erat, aut nando ad naues, quæ in salo erant configuentes, sublatis anchoris, vitæ subsidium remis quæsuerunt. Lusitani præda ingenti potiti sunt; vt refert ille Hispaniensis belli commentarius, alioqui mutilus, corruptus, impeditoq; sermone confusus. Quis quis auctor illius fuerit. Neque enim ad Hircium, aut Opium disertos satis homines referendum ego existimo. Miles tamen Cæsaris cum esset, & eius laudes immodicus, ita scripsit, vt s̄epe, neq; quid velit intelligas, neq; si diuines, oratio ipsa sibi congruat.

Cn. Pompeio extinto, & maxima ex parte Hispania in potestatem redacta, Cæsar ad Urbanam dominationem festinans, Sext. Pompeium alterum ex Pompeii Magni filiis iu niorem, contempta eius adolescentia, neglexit in Hispania, nō arbitratus enim aliquid magnum propter ætatem esse ausurum; sed aliter res euenerit. Nam iuuenis primo cum paucis piraticam exercuit ignotus, deinde paulatim timorē exuens, seq; Pompeii Magni filiū professus, ex iis, qui sub patre Pōpeio vel sub Cn. Fratre militauerāt, vietiq; cesserāt, validū 40 flauit exercitū, ad eum tamquā ad ducem suum confluentibus, quib. Pompeii nomē erat gratiosum. Adauictus igitur ampliorib. copiis, formidini esse cœpit Praesidibus, qui sub Cæsaris imperio Hispanias obtinebant, ita vt vererentur cum eo ad manus venire. Quarē intellecta, Cæsar Carrinacem cum validioribus copiis misit, qui Pompeium debellaret.

Apud Appianū *Carinam* in his locis scriptū pro *Carrinate* reperias, nescio an interpretis vitio. Nā sermo est de C. Albio Carrinate, qui postea Cōsulatū gessit, cū August⁹ abdicasset.

At vero iuuenis cognito Carrinatis aduentū, statim aduolās illum oppressit. Ea ex causa Cæsar successorem Carrinati misit C. Asinium Pollionē, quo in ulteriore Hispania bellum gerente, Cæsar interemptus est. Et Senatus Pompeium ultro reuecauit. Ille vero cū Mafiliā esset delatus, ad urbēm nequaquam rediit, sed quæ ibi fierent intentus expectabat.

Atq; electus maris Imperator, vt pater eius fuerat, assumptis, quæ in portu erāt, nauibus, vna cum iis, quas vel secum, vel in Hispania habebat, cōtra Triumuirorum dominationem in Siciliam nauigauit. Multi illum Galli, multi Iberi, multi etiam Lusitani, secuti sunt, Pompeii patris amore, & Cæsaris adhuc odio. Nam etiam Bruto à Triumuiris proscripto, cum vna cum Cassio ad Nigrum sinum aduersus Antoniū bellum pararet, quattuor millia Cetarum, ac Lusitanorum equitum illi fuisse, scribit Appianus.

Pompeius igitur Sicilia potitus cōtra Octauium, & Antoniū pugnauit plerumq; victor. Et quidem magni famam ducis posteris reliquisset, si nihil tentaslet ulterius. Verū mutata priorifortuna, quasiq; insolentiam eius indignante, quæ se, & amictu cæruleo, & verborum vanitatem

vanitate, Neptuni filium esse iactauerat, tāquām Magni Pompeii esse, fuisse parum, victus Antonii se duci Titio dedidit, à quo Miletī interfectus est. Qui copiosius ista scire velit, legat Appiani ciuilium bellorum libros quartum, & quintum. Nos in his immorati prolixius aliquanto sumus, propter Orosium, qui Sext. Pompeii mortem post Mundensem pugnam statim secutam scribit, nescio quem secutus auctorem. Eius hæc sunt verbalibro 6.ca. 16.  
*Vtimum bellum apud Mundam urbem gestum est, ubi tantis viribus dimicatum, tantag cædes acta, ut Cesar quoque veterani suis cedere non erubesceribus, cum cedi, cogique aciem suam cerneret, præuenire morte futurum victi dedecus cogitarit, cum subito versus in fugam Pompeiorum ceſit exercitus. Et statim Cn. Pompeius cum centesimo equite aufugit. Frater eius Sex. Pompeius contracta celeriter nō parua Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus, & victus fugiensq; interfectus est. Mundas cinctas cum immensa hominum cæde, Cæsare oppugnante, vix capta est.*

Dubium tamen apud me non est, corruptum Orosi locum hunc. Nam paulo post, capite 18. & capit. 19. Octauii quartum bellum aduersus Sex. Pompeium Cn. Pompeii filium commemorat, narratq; eum Siciliam occupasse, & tandem à Titio, & Furnio Antonianis ducib. victum, & captum, post paululum fuisse interfectum, vt ex Appiano ante diximus. Quare priori loco libenter legerem: *Cum Cæsonio congressus, & victus fugiens pæne interfectus est. Euasit enim, atq; ad piraticam inde se conuertit, quod etiam Orosius ipse confirmauit his verbis: Sex. Pompeius post quam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conuersus ad latrocinia, omnem oram Italia cædibus rapinisq; vastauit, Sicilia prærepta.*

20 Ceterum, vt ad C. Afinium Pollio ne redeam, eiū tres extant epistolæ inter Ciceronis familiares libro decimo, in quarum vna sic habetur: *Sed ut rationem in eo, quo die prælium Pansa commisit, eodem à Gadibus naues profectæ sunt. Nulla enim post hiemem fuit ante eam diem nauigatio. Et hercule longe remotus ab omni suspitione futuri ciuilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaueram. Inclinauit post hæc ad Cæsarem Augustum fortuna, & Romanioribus imperium adeptus, Hispaniam, cum per se, tum per suos duces, intra annos quattuor pacatam reddidit. Colonias partim deduxit, partim ampliavit. De quibus non nihil inter vrbes referemus.*

In primo volumine, cum terminos Lusitanę signabamus, diximus Bæticam prouinciam plebi attributam, ad quam Prætor mitteretur, qui Legatum, & Quæstorem haberet, reliquas omnes in Hispania Cæsaris fuisse, qui duos mitteret Legatos, Prætorium, & Consularem. Ex iis Prætorius Legatum secum habebat, qui Lusitanis Bæticæ adiacentibus, & ad Durium vsq; protensis ius diceret. Consularis, quod reliquum erat Hispaniæ administrabat. Augustus enim omnium prouinciarum Romano imperio subditarum administratio nem ita diuisit, vt aliæ proconsulares essent, aliæ prætoriæ, aliæ præsidiales. Proconsulares Senatu, prætorias populo demandauit, Præsidiales sibi ipse sumpsit, in quas legatos mittebat, qui modo Præsides, modo Cæsaris, vel Augusti legati dicebantur.

Iiq; Præsides Legatiue Cæsaris, nonnumquam honoris causa consulari potestate augementabantur, vt eiusdem essent auctoritatis, cuius Proconsules. Proconsulum namque dignitas amplior, quam Legatorum, Præsidumq; erat, quoniam hi ex equestri ordine eligi poterant, illi non nisi ex Senatore, consularium prouincias sortiebantur. Proconsulares ergo & Prætoriæ illæ sunt factæ, quæ vel pacatae iā essent, vel militari præsidio non indigerent.

Quæ vero adhuc rebelles, legionibus, armisque retinendæ viderentur, sibi attribuit Cæsar, specioso quidem prætextu gratificandi Senatu, populoque Romano, quasi eis laborem adimeret, re autem vera, vt ipse exercitus, copiasque militares omnes in sua potestate haberet, ne vñquam Senatus, populuse inuasam rem publicam repetere auderent, vt scriptum reliquit Dion.

Hispaniæ igitur postea in sex prouincias diuisæ; Bætica, Lusitania, & Calætia consulares factæ, Tarragonensis, Carthaginiensis, Insularis, & Tingitania, quæ trans fretū Hispaniæ est contributa, præsidiales.

Tandem Lusitania in duas diuisa prouincias, quarum altera, videlicet major veteris prouincię pars, suum sibi Lusitanę nomen retinuit, altera Vettoria dicta est, vt in primo libro abunde retulimus.

Paulatim emerſere Comites, eorumque vicarii usque ex Adriano, qui Senatum quendam domesticum in palatio suo habuit qui peregre euntem comitaretur. Cæsar Comitatus ideo nuncupatus, & illi ipsi Senatores Comites Palatini, Donec diuus Constantinus oppida, vel prouincias illis attributas ad eorum transtulit heredes. Atque hæc origo est dignitatis Comitum, Dicumque.

Morem eum secuti Longobardorum reges Italiam sibi subiectam in Comitatus varios, atque Ducatus diuiserunt. Limitanei quoque duces Marchiones nuncupati sunt, quoniam limitem marcham vulgus appellaret.

Ab Augusto igitur usq; ad Gothos, nihil quod magnopere ad Lusitaniam pertineat in tam deplorato scriptorū antiquorum interitu ego reperi, nisi Lusitaniam in Romanorum acquieuisse dominatu, eorumq; legibus domitam paruisse. Othonem postea Cæsarem fuisse à Nerone Lusitanis præfectum, ut Popæ illius vxore, amoto ex urbe viro liberius frueretur, libro tertio scribit Tacitus. *Vbi, inquit, usq; ad ciuilia arma, non ex priore infamia, sed integre sancte egit, procax, otii, & potestatis temperantior.* Eadem fere repetit libro decimo septimo.

Suetonius quoq; Tranquillus in Othonem. *Se positus, inquit, est per causam legationis in Lusitaniam.* Iactatum etiam de hac re distichum:

*Cur Otho mentitus sit queritur exul honore,*

*Vxoris machas cæperat esse suæ.*

10

Illum tamen per decem annos moderationē, atque abstinentia singulari, prouinciam administrasse testatur.

Et pro Romanis etiam in Italia militauere Lusitani. Eodem enim libro scribit Tacitus, Lusitanorum cohortes sub Vetellii sacramento fuisse.

Septimæ Lusitanorum cohortis meminit Alciatus in annotationibus in Taciti librum decimum sextum, ex inscriptione marmorea, quæ Comi adhuc sit, in memoriam Calpurnii Fabati Nouocomensis, C. Cæcili Plinii prosoceri.

Sorranale vocatur oppidum inter Dertoram, Genuamq; non procul à montib. Ibi ego inscriptionem vidi, quam aiebant ex diruto iuxta oppido Antilia, seu potius Attilia fuisse allatam. ea est huiusmodi:

Q. ATTIO. T. F. MAEC. PRISCO AED. II. VIR. QVINO. FLAM.  
AVG. PONTIF. PRÆF. FABR. PRÆF. COH. I. HISPANORVM. ET.  
COH. I. MONTANORVM. ET. COH. I. LVSITANOR. TRIB. MIL. LEG.  
I. ADIVTIC. DONIS. DONATO. AB IMP. NERVA. CÆSARE AVG.  
GERM. BELLO SVEBIC. CORON. AVREA. HASTA. PVRA. VEXILL.  
PRÆF. ALÆ. I. AVG. THRACVM. PLEBS. VRBANA.

Hoc est: *Quinto Attio Titi filio Mæcenati Prisco Aedili Duumiro quinq; Flamini Augustali Pontifici, præfecto Fabrum, præfecto cohortis primæ Hispanorum, & cohortis primæ Montanorum, & cohortis primæ Lusitanorum, tribuno militum legionis primæ adiutricis, donis donato ab Imperatore Nera Cæsare Augusto Germanico, bello Sueicò corona aurea, hasta pura, vexillo, præfecto alæ prima Augustalis Thracum plebs urbana.*

Vbi illud animaduersione dignum iudicavi, Lusitanos separatim ab Hispanis esse positos. Abiere tandem in Romanorum mores Lusitani, & ciuitatem linguamq; Latinam, sicut & Turdetani, accepere, vt in libello ad Vasæum pro colonia Pacensi, disputauit; vt audiendus quidam non sit, qui se operæ pretium facturum existimauit, si post disputationem illam meam Genesio Sepuluedæ Badiozam Pacein fuisse Augustam afferenti subscribe-ret. Nos ad libellū illum remittimus lectorē, & ad ea, quæ postea inter urbes commen-tabimur.

Cæsaribus etiam plerisq; statuas erexere, vt alibi ostendimus. Quin si qua mira res sub-oriuntur, quæ aut animum pasceret, aut oculos, ad illos protinus mittebat, vt Tiberio principi Olysiponenses, missa ob id legatione, nunciasse tritonem qua noscitut forma, in quodam specu canentem concha visum, auditumq; scribit Plinius libro nono cap. 5.

Prouinciam in tres iuridicos conuentus diuisam, Emeritensem, Pacehsem, & Scallabi-tatum, sic, vt triangulum equalium prope laterum facerent. Et urbitum alias colonias ap-pellatas, alias municipia, vel ciuium Romanorum, vel antiqui Latii, vel stipendiarias reli-ctas, ex Plinio in Lusitanis descriptione, supra ostendimus, & postea ostendemus, diuisam quoque in duas non semel diximus.

Erant nihilominus in Lusitania aliquot siue reguli, siue dynastæ, aut toparchæ, imperio Romano subditi, qualis pater fuit Encraditis nobilissimæ virginis, & martyris Cæsaraugusta, & in tota Celtiberia notissimæ: & iam dominantibus Gothis, Castinaldus Nabantia princeps.

### D E G O T H I S.

**D**E Gothorum autem origine ad institutum meum scriberè nequaquam pertinet, maxi-menō conuenientib. inter se, qui de illis scripsere auctorib. Verum quia lucē aliquam iis quæ

iis quæ dicenda sunt, eares afferet, in summa, Getas eos fuisse, ac Sarmatas, nonnullosq; alios populos illis finitimos, dixisse sufficiat. Multæ siquidem gentes, siue ex Schandia, Cimbricæ Chersonesi insula, siue ex vicinia, Gothicum effecere nomen, priscis scriptoribus ignoratum, & sub Getica appellatione confusum, donec viribus ipsi suis emersere magna vocabuli claritate, quod à duce proprio qui *Gothus* vocabatur, vt afferit Vitichinus Saxonicorum libro primo, sortiti sunt. Nisi malimus à *Gathis* ipsius Scandiæ, iuxta Ptolemæum, gentibus eos prius *Gothos* deinde, *Gothos* fuisse denominatos. *Gothicæ gentes*, inquit Procopius belli Vandalicilibro tertio, *multa quidem & alia prius fuere, quam nunc. Omnia autem maxima ac potissima, Gothi, & Vandali. & Vesogothi, & Gepedes, iamdudum, Sar-10 mate, & Melanchlani appellati*. Addamus & nos, *Gothos* in *Ostrogothos*, & *Vesogothos*, hoc est, in Orientales, & Occidentales fuisse diuisos. Ita Iornandes in Geticis. A loco Orientali dicti sunt *Ostrogothi*; residui vero *Vesogothi* in parte occidua, & s̄pē alias. Ratio in promptu est, Germanicam linguam non ignorantibus. *Gothi* enim veteris Germaniæ fuere populi, apud quos, *Vest*, Occidens dicitur, & si Germanice pronunciandum sit, *Vestigothi*, idem est, quod Occidentales *Gothi*, & contra, *Oster*, Oriens vocatur. Vnde Carolus Magnus cum ventorum nomina in suam linguam mutaret, subsolanum Orientalem ventum *Ostrenvindt*, appellavit.

Zephyrum vero, qui ab occidente spirat *VVestren*. Sicut adnotauit is, qui vitā eius mandauit litteris, vt obiter admoneam, ventorum nomina, quibus hodie nautæ Lusitani vtuntur, à Carolo fuisse imposita.

Inter *Gothos* duæ nobilissimæ excellebant familiæ, Amalorū videlicet inter *Ostrogothos*, & Baltorum inter *Vesogothos*.

Iornandes in Geticis, *Diuisi*, inquit, *per familias populi Vesogothi, familia Balthorum, Ostrogothi præclaris Amalis serviebant*. Et quidem Amali regem Amalam suę stirpis, & nominis auctorem fuisse gloriabantur. Balthi vero ab Alarico, qui ob audaciam *Baltha*, id est, audax, inter suos cognomen acceperat, deriuati sunt.

Ceterum *Vesogothos* nobilitarunt, Alarius, quem dixi, & *Vallia*, & *Theodoricus* is qui pro Romanis vna cum Aetio in Catalaunicis campis contra Attilam pugnans victor oc cubuit. Quem ex nostris quidam *Theodorenum* vocant, Gregorius Turonensis *Theodo-30 nem*; videlicet in barbaris his nominibus, vel suo more proferendis, vel paulo mollius proferendis, vel paulo mollius pronunciandis, mutuo non consentiunt scriptores. *Ostrogothos*, quos amalorum excellens familia illustrabat, illustriores reddidit magnus ille *Theodoricus* Amalus à Zenone Augusto adoptatus, & quasi alter Imperator Romæ, & Italæ destinatus. Alanos præterea *Gothicum* & ipsum genus, eodem Procopio auctore, minime prætereamus, quos Massagethas fuisse, scribit Ammianus Marcellinus, libro vige- gesimo tertio. Tametsi cognatae gentes ex secessionibus, ac factionibus inuicem diuisæ etiam inter se frequenter bella gestere. Quo factum est, vt Alani, Suevi, & Vandali à *Gothis* vicinis, & consanguineis pulsi sedibus, scđere inter se iuncti, primum in *Pannonias*, 40 deinde in *Gallias*, postremo in *Hispanias* immigrarent.

Ex quibus Vandali Bæticā occuparunt, ab ipsis deinde *Vandaliam*, & *Vandaliciam* no-minatam. Vnde à *Vesogothis*, qui postea inundarant & eorum rege *Vallia*, Honorio Au-gusto iam foederato electi in Africam sunt. Alani Emeritam, maioremque Lusitanie partem, cū Olyssipone, quæ semel pecunia se redemerat, tenuere. Suevi Calleciam omnem. Verum qui ad Emeritam conlēderant, à Constantio prius Comite, deinde Cæsare ab Ho-norio declarato, & restitutę Placiæ matrimonio affine facto, cum eiusdē *Vallia*, & *Ve-sogothorum* auxiliis graui prælio superati, cum in pugna Athacem regem amisissent, pars ad petendam pacem inclinarunt, pars ad Sueuos, qui Olyssiponem tenebant, configuen-tes, sub eorum tutela acquieuerent. Omnesque ii metu Romanorum territi, confilia pacis agitantes, hæc ab Honorio postulabant, vt Orosius ait: *Tu cum omnibus pacem habe, omni-50 umque obides accipe. Nos nobiscum configimus, nobis perimus, tibi vincimus. Immortalis vero questus erit Rep. tue si utrig. pereamus.* Ita illi tunc. Verū audita Cōstantii morte, repudiato petitæ pacis consilio, ad ingenium redierunt. Et quidem Alani Emeritā reuersi, totā sibi Lusitaniam vendicabant, *Vandalis*, qui in Bætica superfuerāt, adhortantibus. Eregerant enim animos *Vallia* Tolosam reuerso, quā ei Honorius permiserat, cum nonnullis aliis Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus. Vnde *Vesogothia* regio ea est nuncupata. Hispani nostri, Galliam *Gothi-*cam dicere maluerunt. Audaciam quoque auxit insecura Honori mors. Sed cum mi-nor Theodosius, Valentinianum Placiæ amittæ suæ, & Constantii filium Cæsarem decla-rasset is contra Alanos, atque Sueuos in Lusitaniam Comitem misit Sebastianū. Qui sane gesta benere Lusitania potitus erat, tyrannide tamen affectata, cum *Vandalorum* reliquiis

& Vesogothis iniit fœdus. A quibus paulo mox circumuentus, & interfectus est.

Suei ergo relicta sociis Alanis Lusitania, ad suos qui in Gailæcia erant, cum se contulerissent, atque in maius corpus coaliuerent, regnum constituere. Quod ab Hermerico ad Leouigildum Vesogothorum regē, per annos CLXXVII durauit, ut Isidorus testatur. Prævaluere autē Vesogothi, & actis altius radicibus, cum in citeriorem Hispaniam, tum etiam in Narbonensem Galliam se extendentes, per annos trecentos, & octoginta, atq; amplius regnauerunt, quod decus, & gloriam Roderico regnante amiserunt. Ad hunc modum, Hispaniæ Scythicis nationibus patuerunt, admiscentibus se semper, in istiusmodi demigrationibus vicinarum gentium populis, quos tristis cæli, glebæq; infœcundioris tædium cepisset. Vniuersos tamen propter amplitudinem, Gothicū nomen amplectebatur. Hæc <sup>10</sup> breuiter, & summatione dicta sint, quæ ad suscepsum à nobis opus facere videbantur.

### D E V I I S M I L I T A R I B V S .

**V**IAS militares, atque publicas, faciles, & expeditas, cum in Italia, tum in prouinciis efficerem Romani conabantur. Quia in re præcipuam, & supra reliquos principes egregiam nauauit operam Traianus, vt etiam annotauit medicus Galenus Methodi libro nono. Vias igitur publicas propter lutum sternebant lapidibus. Lucretius libro primo dixit:

*Strataq; iam vulgi, pedibus detrita viarum,  
Saxea conspicimus*

Vnde eas nos Lusitani stratas regias appellamus. Sternebant autem alibi impolito, rudi que lapide, alibi pro vrbium claritate quadratis saxis, pæne insana profusione, vt memini in Narbonensi Gallia me vidisse.

Millia passuum erectæ columnæ distinguebant, cum inscriptionibus eorum, qui eas fecerant, eorumque qui refecerant.

Inde illa formula vulgatissima, primo ab vrbē, ad primum ab vrbē lapidem, & similia. Locis autem vlginosis, ac depressis, addebant terræ aggerem, super quem lapideā crux tam in sternerent, eoq; factum, vt aliquando ipsa publica via, ac militaris, agger publicus diceretur, præcipue à scriptoribus Gallis, qualis Appollinaris est Sidonius, qui in propemptico ad libellum dixit:

*Antiquus tibi nec teratur agger,  
Cuius per spatium, fatis vetustis  
Nomen Cæsareum viret columnis.* Et sæpe alias.

Virgilius etiam dixit Æneidos quinto:

*Qualis sæpe viæ deprehensus in aggere serpens.*

Sed verbi insolentiam mitigauit ac molliuit, quoniam nequaquam simpliciter, *in aggere sed in aggere viæ* dixit.

Taliū viarum septem in Lusitania, atq; in Bracaris supersunt adhuc, & vna in Vettinia, altera Lusitanæ prouincia. Verum magna ex parte adgestionibus, stratisq; vetustate corruptis, & collapsis milliariorum columnis.

Prima, cuius meminit Antoninus Pius in Itinerario, ab Olyssippone ducebat Emeritam. Cuius verba apponam aliquanto emendatius quam vulgo circumferuntur.

### I T E M A B O L Y S I P P O N E E M E R I T A M

M. P. C C I I I I .

*Equabona. M. P. XII.*

*Ceciliana. M. P. XII.*

*Salacia. M. P. XII.*

*Ad Anam flumen. M. P. LX.*

*Dippone M. P. XII.*

*Celtobrica. M. P. XII.*

*Malcea. M. P. XVI.*

*Ebora. M. P. XLIV.*

*Euandriana. M. P. XVII.*

*Emerita. M. P. IX.*

Omitto oppidorum nomina, de quibus suo agetur loco. In hoc itinere in prædio, quod Pinarium vocant, Illustrissimi ducis Auiariensis, xx. Mil. P. à Cetobriga à Salacia vero <sup>46</sup> XVI. M. P. Oppidi ruinæ supersunt, & ibi cippus non inelegans.

L. ÆLIO. AVRELIO. COMMODO. IMP. ANTONINI. AVG. PII. P.

P. FILIO. COS. DESIGNATO. P. M.

D. D.

Hoc

Hoc est: *Lucio Aelio Aurelio Commodo imperatori Antonini Augusti Pii patris patriæ filio consul designato pontifici maximo dedicarunt.*

Inter Salaciam, atq; Eboram, in colle super flumen, cui Riuo Maurino nomen est, columnæ adhuc extat ad hunc modum inscripta.

IMP. CÆS. DIVI SEPTI... SEVERI PII ARAB. A-  
DIAB. PARTHICI, MAX. BRIT... AX. F. DIVI. M. AN-  
TON. PII GERM. SARM. NEP. DIVI ANTONINI PII  
PRONEP. DIVI HADR ..... ABNEP. DIVI TRAIANI  
PARTHIC. ... ET DIVI NERV ..... ADNEP. M. AVR.  
ANTONIN ..... P. F. AVG. PAR. MAX. BRI.... MAX.  
PATER MILITVM. TRIB. POT. XX. III. COS. IIII. P. P.  
PROC. REST.....

Hoc est: *Imperator Cæsar Diui Septimii Seueri Pii Arabici Adiabenici, Parthici Maximi filius, Diui Marci Antonini Pii Germanici Sarmatici nepos, Diui Antonini Pii pronepos, Diui Hadriani abnepos, Diui Traiani Parthici, & Diui Nerue abnepos, Marcus Aurelius Antoninus Pius felix Augustus Parthicus, Maximus Britannicus, Maximus Germanicus, Maximus pater militum, tribunus potestate vigesimum Imperator, tertium consul, quartum pater patriæ, Proconsul restituit.*

Ad duodecimum ab urbe Eboralapide, itineris eiusdem, in prædio, quod vocant Tabularios, duæ sunt columnæ, altera omnino corrosas vetustate litteras habet, altera cū hac inscriptione mansit integrior.

IMP. CÆS. MAXIMIANO PIO. FELICI. AVG. EBORA.

M. P. XII.

Hoc est: *Imperatori Cæsari, Maximiano Pio, Felici Augusto Ebora millia passuum duodecim.*

Eodem itinere in veteri ædificio templum est Virgini Dei matri sacrum & magna religione cultum. Turegiam locum eum vocant. De quo multa in libello ad Kebedium Tokletanum scripsi.

Ibi mensa marmorea est, quam sepulchro Q. Iulii Maximi Calpurnia Sabina vxor imponendam curauit. In quo sepulchro duo etiam filii eius viarum curatores fuere conditi. Eas habet.

D. M. S.

Q. IVL. MAXIMO. C. V. QUÆSTORI. PROVIN. SI-  
CILIÆ. TRIB. PLEB. LEG. PROV. NARBONENS.  
GALLIAE PRÆT. DESIG. ANNO XLVIII CALPV-  
NIA. SABINA. MARITO OPTIMO.

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIRO VIARVM CV-  
RANDARVM ANNO. XXI. Q. IVL. NEPOTIANO. C.  
I. IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM. ANNO. XX.  
CALP. SABINA. FILIIS.

Hoc est: *Diis manibus sacrum Quinto Iulio Maximo, clarissimo viro, questori provincie Siciliae, tribunopolebis, Legato provincie Narbonensis, Gallia Prætori designato annorum quadraginta octo Calpurnia Sabina marito optimo.*

*Quinto Iulio claro clarissimo viro, quartum viro viarum curandarum annorum virginis unus. Quinto Iulio Nepotiano clarissimo iuueni, quartum viro viarum curandarum annorum viginti Calpurnia Sabina filius.*

In agro Stermotiensi, nō procul à pago Borbacena columnæ duæ sunt, altera collapsa, et rasis omnino litteris præter primum & secundum versum.

IMP. CÆS. DIV..... RI PII FIL.....

Hoc est: *Imperatori Cæsari Diui Seueri Pii Filio.*

Altera stat cum inscriptione hac, quæ tamen ægre iam legitur:

IMP. CÆS. DIVI ANTONINI PII MAGNI FIL. DIVI  
SEPTIMI SEVERI PII NEPOTI M. AVRELIO ANTO-  
NINO P. FEL. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II.  
COS. II. PROC. P. P. FORTISSIMO FELICISSIMO  
QUE PRINCIPI ..... ORA. M. P. XXII.

Hoc est: *Imperator Cæsari dñi Antonini Pii Magnifilio, Diui Septimii Seueri, Pii nepoti, Marco Aurelio Antonino Pio, felici Augusto Pontifici Maximo, Tribunitia potestate, secundum Consuli, secundum Proconsuli, patri patriæ, fortissimo, felicissimo, principi Ebora millia passuum vi-*  
ginti duo.

Heluis in ædibus cuiusdam viri nobilis columnæ duæ scriptæ iacent, ex itinere eo de-  
latæ, sed litteris tam corruptis, ut vix in quoque versu duæ aut tres apparent. Ex ea via ni-  
hil amplius vidi.

Ab vrbe autem Ebora Pacem vsq; Iuliam, etiam apparent stratae viæ vestigia. Columnæ  
extant multis in locis, partim adhuc erectæ, partim collapsæ, fractæ, & terra operæ.

Item super Exafram, Murtariam, & Odiuellam fluuios pontium dirutorum hic sub-  
iices, illic pilæ, pilarijque bases. Litteræ in columnis intercidere. In vna tantum has cum  
diutius considerarem, ægre potui legere:

IMP. CÆS. .	VÆ NÆP
. . . . .	IANVS HADR. . . . . COS. III
. . . . .	

Hoc est: *Imperator Cæsari Nervæ nepoti Traianus Hadrianus Consul tertium.*

Iter quod ab Esuri Pacé Iuliam corruptissimum Antonini itinerarium ponit, ego quin-  
que aut sex modis intelligere, cum tentassem, nihil fere in tanta depravatione confeci.

Quare ita ut apud illū habetur reliqui, si forte aliquando prodeat is libellus minus men-  
dose scriptus, aut feliciora nodum explicit ingénia.

I T E M D E E S V R I P A C E I V L I A, M. P.  
C C L V I I . Sic:

Balsa M. P. XXIV.	Serpa M. P. XIII.
Ossonoba M. P. XVI.	Fines M. P. XX.
Arani M. P. LX.	Arucci M. P. XXV.
Rarapia M. P. XXXV.	Pace Iulia M. P. XXX.
Ebora M. P. XLIV.	

Et statim sequi debet alterum iter per compendium ab Esuri Pacem Iuliam, quod bene  
signatum est. Ita enim habet: Item ab Esuri per compendium, Pace Iulia, mil. pass. L X V I . Sic  
*Myrtili mil. pass. XL. Pace Iulia mil. pass. XXXVI.*

Magnaqueque depravatione vitiatus numerus est in itinere, quod à Salacia Ossono-  
bam describit, habet enim: *A. Salacia, Ossonoba, mil. pass. XVI.* Cum sint supra cxi.

Eodem itinere in colle sinistrorum, iuxta semidirutum oppidum Aureolam, meta est,  
quæ olim terminum Eborensem à Pacensi dirimebat. De qua meta in meo ad Kebedium  
Toletanum libello, satis multa. Ea autem est huiusmodi.

D. D.	N. N.
. . . .	. . . .
ÆTERN. IMP. C. AVRE. VALER. IO. IOVIO. DIOCLETIA-	NO. ET M. AVR. VALERIO. ERCVLEO MAXIMIANO PIIS.
FEL. SEMPER AVGG. TERMINVS INTER PACENS. ET EBO-	RENS. CVRANTE. P. DATIANO V. P. PRÆSIDE. HH. N. M.
Q. EORVM DEVOTISSIMO HEINC PACENSES	. . . .

Hoc est: *Dominorum nostrorum æternitati imperatoribus Caio Aurelio Valerio Iouio Diocletia-  
no. Et Marco Aurelio Valerio Erculeo Maximiano Piis felicibus semper Augustis, terminus inter Pa-  
censes, & Eborense curante Publio Datiano viro patricio præside Hispaniarum, numini, maiestatique  
eorum deuotissimo. Hinc Pacenses, hinc Eborense.*

Duplex inde iter Antoninus ponit ab Olyslpone Emeritam, sed vtrumque numeris cor-  
ruptissimis, oppidisque aut iam non extantibus, aut diuersissime com-  
mutatis. Alterum sic:

ALIO

## ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE E M E R I T A M . M . P . C X L V . Sic.

Aritio Pratorio. M. P. XXXVIII.

Abeleteri. M. P. XXVI.

Matusaro. M. P. XXVII.

Ad septem Aras. M. P. VIII.

Badua. M. P. XII.

Plagaria. M. P. VIII.

Emerita. M. P. XXX.

Corruptos esse numeros hinc apparet. Nam recto isthac itinere ab Olyssipone Emeritam, numeramus tres & quinquaginta leucas, ex conficiunt ducenta duodecim millia passuum. Sic:

Ab Olyssipone Bencuetum, traecto ad villam Francam Tago, leue & octo. Inde Salutem, quae an Aritium prætorium sit, alii expendant, leua vna. Inde Culucci, quod an Tubucci sit, alii quoq; expendant, & inde tota via suburi pontana.

Alterum per Scallabin, sic:

ITEM ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE  
EMERITAM. M. M. P. C C. XX. Sic.

Hierabriga M. P. XXX.

Scallabis M. P. XXXII.

Tubucci M. P. XXXII.

Fraxinum M. P. XXXII.

Medobriga M. P. XXX.

Ad septem Aras M. P. XIII.

Plagaria M. P. XX.

Emerita M. P. XXX.

Huius viæ columnæ partim vetustatis iniuria diffractæ, partim Crebris ignibus adustæ tantum abrasarum litterarum vestigia demonstrant, quas mihi videre contigit. Ita habent:

Iter autem à Scallabi supra Almerinum oppidum, per Alpiarsæ fluuii initia ducebatur.

Alicubi fragmenta rudia columnarum apparent, ex quibus nihil erat quod scriberem:

Postea cum quatuor collapsas inuenissem in una earum hæc tantum potui legere:

IMP. CÆS. CAIUS IVL. VER. . . . . NOB. IMPERATOR. V. TRI-  
BVNICIÆ. POTEST. COS. PRO. P. PATRIÆ. . . . .

Hoc est: Imperator Cæsar Caius, Iulius, Verus nobilis Imperator, quintum Tribunitiæ potestatis Consul, Proconsul, pater patriæ.

Post mille passus columnæ tres collapsæ.

IMP. CAES.

TRAIANVS. AVG. GER. PONT. MAX. TRIB. POTESTATIS. II. RE-  
STITVIT:

X  
†

Hoc est: Imperator Cæsar Divus Traianus Augustus, Germanicus, Pontifex Maximus, tribuniæ potestatis secundum restituit undecim.

Secunda fracta erat, &amp; has tantum litteras habebat in fine:

RESTITUTOR VRBIS. IMP. CAESARI CLAVDIO. TACITO. PIO. I.  
INVICTO AVG. PONT. M. TRIB. POTESTATIS. II. COS. PRO.

Hoc est: Imperatori Cæsari Claudio Tacito, Pio, felici inuicto, Augusto, Pontifici maximo, tribuniæ potestatis, secundum Consuli Proconsuli.

Post mille passus, tres columnæ, duæ collapsæ abrasis vetustate literis, una erecta, quæ sic habet:

IMP. CÆSARI M CLAUDIO TACITO PIO. F. INVICTO AVG. PONTIF. M. TRIB POTESTATIS. II. COS. P. P.

Hoc est: Imperatori Cæsari M. Claudio Tacito Pio Felici inuitato Augusto, Pontifici maximo, tribunitia potestatis secundum Consuli, patri patriæ.

Post mille passus duæ collapsæ in fine vnius hæc tantum legi possunt:

Cultoribus effigie pietatis, pietate abesse. Nostriq; q; deinde secundum milles  
III. PRO COS REFECIT.

Post mille passus, iuxta diuersorum, quod vocant *Mefias*, quatuor sunt columnæ col-  
lapſæ, tres corruptas habent inscriptiones: In vna sic legitur:

IMP. CAES. CAIUS IVLIVS VERVS MAXIMINVS PIUS. FELIX. IN-  
VICTVS. AVG. PONT. MAX. PATER PATRIAE. TRIBVNICIAE POTE-  
STATIS. TER COS. GERMANICVS MAX. DACICVS MAX. SARMATICVS  
MAX. ET C. IVLIVS VERVS MAXIMVS NOBILISSI. CAESAR. PRINCEPS  
IVVENTVTIS. GERMANICVS MAX. DACICVS MAX. SARMATICVS MAX.  
IMP. CAESARIS. CAI IVLI VERI MAXIMINI. PI. FEL. AVG. GERMA-  
NICI. MAX. DACICI. MAX. SARMATI. MAX. FORTESIMI. CÆSARIS  
FILIUS. IIII.

Hoc est: Imperator Cæsar Caius Iulius Verus Maximinus Pius, Felix, inuitatus, Augustus, Ponti-  
fex Maximus, pater patriæ, tribunitia potestatis, ter Consul, Germanicus Maximus, Dacicus Maxi-  
mus, Sarmaticus Maximus, & Caius Iulius verus Maximus nobilissimus Cæsar princeps inuentus,  
Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus Imperatoris Cæsaris Caii Iulii Veri  
Maximini, Pii Felicis Augusti, Germanici Maximi, Dacici Maximi, Sarmatici Maximifortissimi  
Cæsaris filius quatuor.

FINIS LIBRI TERTII.

L. ANDR. RESENDII  
DE  
ANTIQUITATIBVS LV.<sup>40</sup>  
SITANIAE  
LIBER QVARTVS.



RBES nunc aggrediar, non minimam intentionis meæ partem. Quæ-  
rumpleræq; etiam Romanis temporib. prisca nomina amiserunt. Mul-  
tas nominat Liuius à vetustioribus acceptas, aut nullo nunc modo, aut  
ægre intellectas, quoniam iis alia Romani postea vocabula imposuerunt.

Incipiamus ab illa parte Bæticæ, quæ modo appendix est Lusitanæ,  
in qua Oliuentiam Mauranum, Mauram, Serpam, Mortiganum, ac  
Noudarem esse primo libro commemorauimus.

Ac de Oliuentia vrbe nihil quod ad antiquitatem faciat, adhuc habeo, nisi cippi ibi in-  
uenti inscriptionem ad me illinc missam.

D. M. S.

C. ANTESTIVS CALVVS. C. ANTESTIVS PROGVLV. H. SS. CORNELIA TER-  
TVLLA. VIRO ET FILIO. DE. S. P. F. C.

Hoc

Hoc est: *Dii manibus sacrum. Caius Antestius Calvus, Caius Antestius Proculus hic sit sunt. Cornelia Tertulla viro & filio de sua pecunia fieri curauit.*

De Maurano & que nihil.

## DE M A V R A.

**M**AURAM insigne oppidum. Nouum fuisse Arucci, ex cippo istiusmodi, quem ibilegi persuasum habeo.

IVLIAE. AGRIPPINAE CAESARIS. AVG. GERMANICI . . . MA-

TRI. AVG. NOVA CIVITAS ARVCCITANA.

Hoc est: *Iulia Agrippinae Cæsaris Augusti Germanici matri Augustae noua ciuitas Aruccitana.*

Nouum autem Arucci dici puto, quoniam adhuc super est Arucci vetus, nomenque retinet. Vulgo enim Arouche dicitur, proferturque plane Græce ut à Ptolemæo vocatur. Parum tamen iam frequens est Arucci vetus.

Accomodant Maurense nouo nomini, haud scio an fabulam appelle. Fuisse Maurum Regulum quandam tractus illius dominum, qui cum de finibus cum altero potentiore bellum gereret, atque in prælio cecidisset, eiusque vxorem forma luculenta mulierem saepe victor interpellasset, additis nisi acquiesceret minis, illam contumaci odio interfectoris postulata respuisse. Cumque Arucci veteri, propter hostis vicinitatem diffideret, migrasse ad nouam ciuitatem Aruccitanam, ut tutiorem situ, ita bonitate vberioris agri magis accommodari. Cumque ab indigenis Maura ex Arucci vulgo appellaretur, factum esse, ut etiam ipsa vrbs Maura exinde nominata sit.

In territorio quoque oppidi eiusdem multa antiquitatis supersunt vestigia. Inter Mauram, atque Ficalium semidirutum oppidum, ad pagum, quem vocant Vallemuargi, in fani antiqui ruinis, vbi sacellum Michaeli sacrum posteri meliori religione extruxerunt, quattuor cippos fractos, ex eisque vetustate litteris deformatos inueni. Vnus qui reliquus integer est, fideliter à me descriptus ita habet:

DIS. MAN

IBVS. AVRILIAII. M. F. GALLAII. A.NNO. XII.

H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Dii Manibus Aureliae Marci filiae Gallæ annorum duodecim, hic sita est, sit tibi terra leuis.*

Et ne quis forte miretur in usitatam scripturæ rationem, AVRELIAII. GALLAII. pro AVRELIAE Gallæ. Sciat in Epigrammati quoque antiquæ vrbis pagina 149. legi,

M. PONTIVS HEDISTVS. DAIINI COIVGI BIINII MIIRIINTI  
FIICI VIXIT. MIICVM ANNIS TRIBVS.

Pro eo quod esse deberet: *M. Pontius Hedistus Daeni coniugi benemerenti feci. Vixit mecum annis tribus. Et annotauit corrector, alibi etiam duo II pro E posita se inuenisse.*

Ficalii quoque cippus hic est:

D. M. S

VLPIA. M. F. MARCELLA ANNORVM LIII.

H. S. E. T. T. L.

Hoc est: *Dii manibus sacrum. Vlpia Marci filia Marcella annorum quinquaginta trium hic sita est, sit tibi terra leuis.*

Ad pagum Callacum inter Ficalium, & Arucci vetus in fano S. Mametis cippus:

D. M. S.

VIBIA. CRISPIA . . . RVFINI. ARABRICENSIS ANNOR. LXVII.

H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Dii Manibus sacrum. Vibia Crispia Rufina Arabricensis, annorum sexaginta septem, hic sita est, sit tibi terra leuis.*

Tomus II.

Insigne quoque oppidum Serda non multum mihi negotii exhibuit. Nomen enim illa lœsum usq; ex antiquo retinet, ut apud Antonium in itinerario est, & in cippo iuxta oppidum reperto:

## D. M. S.

FABIA. PRISCA SERPENSIS. C. R. ANN. XX. H. S. E. S. T. T.  
L. C. GEMINIVS. PRIS CVS. PATER. ET FABIA CADILLA MA-  
TER. POSVERVNT.

Hoest: *Diis manibus sacrum: Fabia Prisca Serpensis ciuis Romana annorum viginti, hic sita est, sit tibi terra, leuis, Caius Geminus Priscus pater, & Fabia Cadilla mater posuerunt.*

## LVSI TANIAE ALGARBIUM.

**T**ransgrediamur nunc Anam, & Lusitanæ vrbes, de quibus, vel indubitate constabat, vel certe probabili coniectura antiquitatum studiosis explicemus. At Lusitania, inquit Pomponius, *qua mare Atlanticum spectat, primum ingenti impetu in altum abit, deinde resedit, ac se magis etiam, quam Baetica abducit. Quapropter bis in semet recepto mari, in tria promontoria dispergitur, Anæ proximum quia lata sede procurrent, paulatim se ac sua latera fastigiat, Cuneus ager dicitur, sequens Sacrum vocant Magnum, quod ulterius est.*

Aduertant lectores promontoria hic non vocari ipsa tantu[m] terræ acumina, quæ mari imminent, sed totos late etiam tractus, qui tandem acumine in mare desinunt. Ita Liuius Decadis tertie libro primo: *prægressus signa Hannibal in promontorio quodam.* patet hoc ex ipsa Pomponii descriptione. *Quia lata sede procurrent, paulatim se ac sua latera fastigiat, Cuneus ager dicitur,* videlicet ad similitudinem cunei, quoligna scanduntur: Græci *Sphæra* vocarunt promontorium hoc, Latini *Cuneum*. Nostra ætas sanctæ Mariæ caput appellat, sicut & sequens, quod Sacrum dicebatur sancti Vincentii caput vulgo dicitur. Prisci tamen nominis vestigium ibi in oppido Sacris adhuc perseverat. Promontorium vtrumq[ue] Strabo Celticos, ac Lusitanorum plerosque habitare dixit. Ptolemæus etiam Turdetanos adiungit: sicut latius à nobis pro Pacensi colonia disputatum est. Nos Algarbii regnum vocamus à Mauris, cum id tenuere indito vocabulo. In cunæ vero hoc, Myrtilis, Ossonobæ, atq[ue] Balsæ oppidorum meminit Pomponius.

## DE MYRTILI.

**M**Yrtilis, quam Mertolam appellamus, Anæ fluvio est imposita, multis antiquitatum monumentis plena, cippis, columnis, statuis, quibus tam Gothi, quam Mauri, ad reficiendos muros pro cæmentis abutebâtur, ut erant, & hi, & illi ingenio plane barbaro. Octo, vel decem statuas annis ab hinc aliquot terra effossas Mytilenæ homines inde tolere permiserunt affabre insculptas, sed sine capitibus. Arbitrantur capita fuisse ænea & insititia, atque ideo à corporibus in alium usum euulsa.

Abest à pace Iulia iustis x x v i. passuum millibus hoc est, nostratis nouem leuis quod Antoninus in itinerario dixit. Mytilin Plinius, sicut & Eboram, & Salaciam veteris Latii municipium fuisse scriptum reliquit, Ptolemæus Iuliæ cognomen illi tribuit.

## DE BALSÆ.

**O**lim vocata Balsam eam esse coniicimus, quæ nostro tempore Tauilla nominatur maxima Algarbii ciuitas. Eius præter Pomponium, meminere Plinius, Ptolemæus, & in itinerario Antoninus,

## DE OSSONOBÆ

**O**ssonoba vero diruta pene est, cuius prisæ nobilitatis nonnulla adhuc extant vestigia, passimque per viciniam, præcipue in muris Phari propinquæ ciuitatis, magisque littoralis. Hæc vrbs sedes fuit Episcopalis, ut liquet ex conciliis, in quibus Ossonobensis Episcopus subscriptis. Nomen Maurorum temporibus paululum inuersum est. Rasis Maurus Exubonam eam vocat, ingenito lingue Punice vitio. Cuius de ea testimonium, ad verbum sed ad sensum istiusmodi est;

Exubans

Exubana solo fertili, ac frumentario sita est, plena, & fructiferis arboribus consito. Habet etiam pineta, & montes ad alenda pecora maxime accommodatos, hortos quoq; irriguos multos, quoniam fontibus, ac fluentis abundat; electrum product optimum; mari vicina est, ubi aliquot sunt insule parvae, cymbis, ac nauiculis ad usum, & inuestiones opportuna. Ciuitas inter eadem magnitudine pares de melioribus totius est orbis. Sub iure, ac dominio suo habet oppida nonnulla, e quibus Siluis est sita super asturium, quod a mari egressum parvo fluui commiscetur. Haec tenus ille. Fortunae vicissitudine facta, Siluis pontificio exornata est, Ossonoba vero in vicum redacta de cuius quoque ruinis, proxima Pharus nobilitatur, & crescit. Nec ipsum nomen iniuria non patuit. ex Ossonoba in Exubanam transiit, & cum iam prope non sit, Estor nuncupatur. Phari in mundo inter propugnaculum nouum, & alterum a Roderico Barreto extrectum, cippus est:

IMP. CAES. P. LICINIO VALERIANO. P. F. AVG. PONT.  
MAX. P. P. TR. POT. III. COS. RESP. OSSON. EX DE-  
CRETO ORD. DEVOT. . . . . NVMINI MAIESTAT. IS.  
EIVS. D. D.

Hoc est: Imperatori Cæsari Publio Licinio Pio. Felici, Augusto, Pontifici maximo patri patrie tribunitia potestate tertium Consuli, Respublica Ossonobensis ex decreto ordinis deuotissima numini maiestatis eius dedicauit.

20 In quadam turri ex parte maris cippus:

D. M. S.  
CATVRISAE. PRIMAE CONIVGI PISSIMÆ QVAE. VIXIT.  
ANN. XXV. M. VIII. L. CALP. THEODORVS. MARIT.

Hoce est: Diis manibus sacrum. Caturis & piissimæ, que vixit annos viginti quinq;, menses octo, Lucius Calpurnius Theodorus maritus.

Inter Pharum, & Tauillam in turri, quam vocant marini cippus:

30 D. M. S.  
C. ANNIUS ROMVLVS ANNORVM XXVIII.  
H. S. E. S. T. T. L.

Hoce est: Diis Manibus sacrum. Caius Annius Romulus annorum viginti octo hic situs est, sit tibi terra leuis.

Phari ad portam maris, cippus:

40 M. CORNELIVS ERIDIMVS. C. IVNIVS. RECEPTVS. OB HO-  
NOREM. IIIII. VIR. D. S. P.  
D. D.

Hoce est: Marcus Cornelius Eridimus, Caius Junius receptus ob honorem Seviratus de sua pecunia dedicarunt.

Sequitur promontorium Sacrum, ita vocatum propter Herculis templum, & quia religio indigena erat, locum nocturnis inambulare temporibus, quod eum tunc ab diis possideri fabularentur, ut initio tertii libri Strabo scriptum reliquit.

Promontorium ipsum duobus cornibus in altum se precipitat, effecto inter utrumque modico sinu, cuius est ambitus quinque fere millium. In sinistro cornu Sacris oppidum est, quod adhuc promontorii nomen refert. In dextro nobile sancti Martyris, ac Leuitæ Vincentii templi, cuius corpus, quoniam pacto ex Valentia delatum eo sit, tyrannidem exercente in Sanctorum reliquias Abderramene, cum in meo de eodem Sancto poemate, tum in libello ad Kebedium Toletanum, late explicauit. Veteres Geographi, urbi humi tractus, nequaquam mentionem faciunt. Vnus Pomponius, utpote Bæticus, & non longo intervallo dissitus, Lacobrigæ, ac portus Hannibalis maritimorum ciuitatum meminit: In sacro, inquit, Lacobriga, & portus Hannibalis.

## DE LACOBRIA.

**L**acobrigam mutilato, atque nonnihil deflexo nomine *Lagos* appellat vulgus, nobilissimum nostro aeo, frequensque oppidum ac huper à Sebastiano Rege in ciuitatis titulum, & honorem euectum, sicut & Pharo ab Ioanne tertio Sebastiani aeo.

Legi ante multos iam annos in Agelariis Baptiste Mantuani, qui me puerò per omnium ora volitabat, magnum de Lacobriga testimonium.

*Dicitur Ardiburi posuisse Lacobriga septem*

*Victori toties statuas totiesq; per illum*

*Eruta Vandalicis bello insurgente procellis.*

Quod nescio unde fuerit mutuatus, cuius poetæ, quoniam multum iam fama refrixit, cetera, quæ ad Lacobrigam attinent, videre poterunt, si velint, quorum in manus liberis deuenerit.

## DE PORTV HANNIBALIS.

**D**E portu Hannibalis dubitanti, duo se ostia obiciebant; alterum ad Villam nouam cognomine Portimanam, eius fluuii, qui urbem Siluin, ad quam Ossonobense pontificium translatum est, præterfluens in mare delabitur. Alterum ad Alborem oppidum non obscurum, vtrumque in sinu magnarum, multarumque nauium capaci. Sed quorum interius per ostia ingressus, non nisi æstu accidente fiat. Facilior V. illa nouanus recto cursu, paulo Alboritanus difficilior, propter flexus varios & in modum Syrtis obstruentes ostium arenas. Verum ubi penetrarint pandente se æstuario, commodissima statio est nauigiorum. Parua insula intus est situ editior, in summo plana in qua olim oppidum fuit. Supersunt vndique muri à fundamentis usque ad medianam altitudinem clementii, in superioribus formacei Punico opere. Summa planities, ruderibus, parietinis, fractis testis, regulisque terra plena, edificiorum monstrat ruinas. Hoc nimia Vetustate extinto, Alborem nostri maiores ibi iuxta intimam æstuariora construxerunt. Hunc fuisse Hannibal vocatum Portum potius arbitramur, quam Villam nouam, oppidum reuera nouum, propter loci situm, unde defendi naues egregie poterant, & aditu arceri hostes, quod a peritissimo bellæ rei duce conueniebat prouideri. Quando autem oppidum hoc Hannibal condiderit, pro comperto ego asserere nequaquam audeo. In Lusitania fuisse Hannibalem, tertio volumine ostensum à me est.

Potuit quoque ex Gadibus, cum vota Herculi exsoluisset, nouisque se obligasset. Quod primo tertiaz decadis libro scribit Liuius, ad promontorium hoc Hannibalem accedere propter dicatum Herculi templum, & dissipatam de diis locum tenentibus famam. Sicut Strabone referēte paulo ante narravimus, maxime inuitante maritima tractus illius amoenitate, & ad res gerendas opportunitate.

## DE MEDOBRIA.

**A**SACRO promontorio usque ad Callipodis fluuii egressum, hoc est ad sinum Salaciensem, multa sane sunt oppida, neque contemnenda, sed quorum mentionem veteres non fecerunt. Plinius Merobrigæ meminit, ac mitum est Cetobrigam omisisse in ora positam, cum Salaciam multo interius locatam non præterierit neque Merobrigam, sex fere millibus passuum ab littore separatam. Verba illius sunt: *Oppida memorabilia à Tago in ora, Olyippo, equarum è Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata urbs imperatoria, Merobriga promontorium sacrum, & alterum Cuncus.*

Interiit autem Merobriga, in cuius locum succedit iuxta oppidum S. Iacobus cognomine Cacem oppidum in excelso colle positum. De quo postea. Muri cum turribus, alibi integri, alibi vero semidiruti, aquæductus, pons in intermedia valle, & quadrato lapide perennis fons, antiquæ me ciuitatis admonuerunt.

Habeo etiam ex ære Cyprio Vulcani paruum simulaerum ibi repertum, & elegans æneum candelabrum. Templum ibi est sancto Blasio dicatum, & super aram lapideam.

Mensacum hac inscriptione:

C. CONCILICO. FUSCO PATRI EX TEST. COCILICI A PASTOS

Hoc est: Gaio Cocilio Fusco patri ex testamento Cocilicia Pastos.

In semicol.

In semicollapsa turri cippus.

C. NVMISIO. C. F. FVSCO. VI. VIRO. SEN. TATI  
NIA. Q. F. FVLVIANILLA VCSOR PERMITTENTE.  
ORD. MEROBRIG.

Hoc est: Caio Numisio Cai filio Fusco, sextum viro Sentatina Quinti filia, Fulvianilla uxor  
permittente ordine Mirobrigensi.

10 S A N C T V S I A C O B V S D E C A C E M.

Dicitur successisse Merobrigae oppidum sanctum Iacobum in excellenti colle, qui maris prospectum aperit, nec à Merobriga distat ducentis integris passibus.

Loco dominabatur Cacem tyrannus Maurus, cum à Christianis receptum oppidum est. Causam nomini dedit Apostoli Iacobi marmorea sub terra effigies, eo loci reperita, quæ nunc quoque religiose ibi colitur. Factumque est nomen à Sancti effigie, cognomen autem a regulo, sub cuius fuerat potestate. Expugnationem referunt oppidani ad heroidem Batazam, cuius quia semisepulta fama est, non ab re fuit, operæ pauxillum impendere. Viam nobis aperuerit Hieronymus Zurita Cæsaraugustanus, vir doctus, & historię diligens scriptor. Sed quia Ioannem Batazen cum Ioanne Commeno, quem Caloianem quidam appellant, Manuels Comneni patre, confundere videtur ex Nicæta Choniate Græco auctore, qui ea tempestate fuit, & ex Baptista Egnatio rem ipsum petamus.

Græci imperator Alexius Angelus cum duas haberet filias adolescentulas ac viduas, & eæ ob adolescentiam & formam, ut ait Nicæta, secundas nuptias desiderare videret, Irene Alexio Palæologo, Annam Theodoro Lascari, adolescenti animoso & bellicosissimo despondit, dotisque nomine, inquit Egnatius, imperii titulos genero tribuit. Et quidem Lascaris, depulso & profligato Manuele Maurozome rubro calceo induito, ab omnibus Orientib[us] vrbibus imperator consalutatus est, ut testatur Nicæta. Ceterum ex vxore mascula illi proles nulla fuit, femina tantum Irene.

30 Hanc Ioantii Diplobatazio in matrimonium iunxit, imperiumque illi per manus tradidit. Ita Egnatius. Sed quem Ioannem Diplobatazium ipse vocat, Ioannem Batazem appellant alii, & quidem Græci, inter quos Nicephorus Callistus, & Batazem tam Zonaras quam Nicæta s[ecundu]m nominant. Ioannes itaque Batazes filium Theodorum Lascarem minorēm successorem reliquit. Qui moriens Ioannem filium, & filiam Lascaram Michaeli Palæologo tutorio nomine commendauit. Verum Palæologus, imperfecto puer, persumnum scelus, sibi imperium vendicauit.

Redeamus modo ad Zuritam in Aragonicis libro quinto capite ultimo. Lascara puel-  
la verita, ne & ipsa in tyranni s[ecundu]m incurreret, Ligurum mercatorū auxilio Genuam  
venit. Nupsitque in Liguria Wilemo comiti, Entemelii, vel, ut vulgo dicitur, Virgin-  
timilii, peperitque ex eo filium Ioannem Lascarem, & tres filias. Moruo marito, filium  
Genuæ reliquit, qui patri in Entemelii ditione successit. Ipsa filias secum dicens, ad Pe-  
trum Aragoniæ regem, cuius ingens erat fama, se contulit, si forte dignaretur auxilium  
ferre, ad recuperandum paternum imperium sibi per tyrannidem erectum. Suscepit illam rex nobilis honorificentissime, & in Valentia regno retinuit. Filiarumque maximam  
Iolanthe ex Græcia cognominatā, vxorē dedit Petro Baroni Aierbæ, regis Iacobi nepoti.

Secundam Beaticē ex Græcia vocatam prætermitto huic operi non necessariam, Ba-  
taza quoque ex Græcia, in matrimonio non diu fuit, peperitque filiam, cui sui nomen  
imposuit. Hanc Iolanthe materterea, vbi per æratem licuit, nuptui collocandam curauit.

Interea cum Isabella Petri regis filia nupsisset Dionysio Lusitanæ regi Bataza iam vidua,  
propter morum, & vitę probitatem, vna etiam venit, fuitque in Lusitania, quo ad Con-  
stantiam ipsius Dionysii, & Isabellę filiam, Ferdinandus Castellæ duxit in matrimonium.  
Tunc quoque Bataza spectatæ virtutis matrona, nouam nuptiam comitata est, tamquam  
moderatrix eius adolescentię. Quæ cum partu edidisset Alfonsum postea regem, non diu  
superstite marito, regis filii cum Bataza nutricionem sedulo curabat. Sed subducto a ma-  
terna cura infante auia consilio, quæ ad suam potestatem transferre illum maluit, Regi-  
na mater & recenti viduitate moesta, & præcipue nutriendi filii solatio destituta, insuper  
aléda familie impar, quod per angustæ admodumq[ue] tenuiter, neō pro regia dignitate, sum-  
ptus suppeditaretur. ex dolore morbū incurrit, decessitq[ue] in oppido sancto Facudo. Et cū  
eius supellex, mundusq[ue] muliebris ad satisfaciendū alumnis minime sufficeret, testamēto à

Dionysio patre, atq; Isabella matre petiit, vt quod illi deerat, ipsi supplerent. Bataza autem, cum se inuidiosam ex præterita potentia indies persentiret, re cum suis communicata, nauem adornari præcepit, beneq; tam ex suis copiis, quam sororum auxilio instructam descendens per mediterraneum mare exiit, ac circumnitis Gadibus, & sacro promontorio, ad flexum, vbi oppidum Sinis est, extensionem fecit. Conuenerunt ad illam Christiani multi, & ex sacra spathophorum militia equites non pauci, qui vicina loca tenebant, atque ad non spernendas copias austi, Cacem regulum oppido exuerunt. Extructoq; templo Bataza bonam ligni sanctæ crucis partem, quam à Lascara matre Constatinopoli delatam acceperat, in quadam templi pila conclusit. Quę diu ignorata latuit, donec miraculo fuit prodita. Ob hoc solenne ibi est, dominicis, ac celebrioribus diebus, cum post sacrificii Euangeliū populum sacerdos alloquitur, etiam adhortari, vt precentur Deum pro Bataza Lascara, Græcia Imperatoris nepte. Relicto in potestate Christianorum oppido, venerabilis matrona Conimbricam se contulit, adhuc illa tempestate urbem regiam. Vbi facultates opesque suas iis, qui sibi inseruerant, distribuens, pauperum nequaquam immemor. Ecclesiam cathedralē donariis multis ac prædiis locupletauit. Sepulta ibi est in lapide, nec operoso monumento, inscriptione simplici.

HEIC SITA EST BATAZA IMPERATORIS GRAECIAE  
NEPTIS.

D E C E T O B R I G A.

**C**etobriga, quæ Ptolemæo *Cetobrix* appellatur in ora & ostio sinus Salaciensis quondam stetit, urbis tenue vestigium modo est, arenis obrutæ, nisi qua irruptentis maris violentia, sub aqua nonnunquam, nonnunquam vero à tumulo in tumulum in arenas radentib. ventis, deteguntur ædificia. Causa nominis à *Cetis*, & *Briga* orta est. *Briga* siquidē vetere Hispanorū lingua urbe significat, vt *Arabriga*, *Conimbrica*, *Cetobriga*, *Lacobriga*, & multe alię. Prima vero cōpositi nominis pars, à *Cetis* est facta. *Cete* magnos pisces, vt *thynnos*, om̄issis marinis belluis significare, & qui pisces eos saliunt, cōdiunt, ac vēdunt, cetarios appellari notum est, lacus autē in quib. saliuntur *cetariae* & *cetaria* dicuntur, vnde Horatius:

*Plures adnabunt thunni, & cetaria crescent.*

Quoniam vero in urbe hac, de qua nobis sermo est, celebris erat pescatio, & falsura talium piscium, sicut etiam nunc *Cecimbrigæ*, quod oppidum è regione est in extimo fere Barbarii promontoriū littore, *Cetobriga* vocata ciuitas est. Durant adhuc in *Cetobrigeni* littore ipsa *cetaria*, signino opere antiquitus fabricata. In medio obrutæ arenis ciuitatis fanum peruetus est, quod instauratum virgini Christi matri sacrauit Christiana religio. Ad cuius ingressum, supra portam, arietis caput visitur contortis cornibus, factum ex marmore, & quidem elegantissime. Neq; dissentaneum est fanum id, atq; simulacrum Iouis Ammonis olim fuisse, contra frequentes arenarum turbines, ab ethniciis ibi culti. Statua quoque marmorea stolata illinc *Neocetobrigam* delata est, absque tamen capite. Inscrip̄tio quoque hæc in quadrato iaspidis albipapide, in parthenone virginum sancti Domini institutum profitentium *Neocetobrigæ* extat.

L. IVLIVS. L ET. T. LIB. VALENS. ANNOR. XXV.

H. S. E. S. T. T. L.

COPIRVS. FRATRI.

Hoc est: *Lucius Iulius Lucii & Tiri libertus, Valens annorum viginti quinq. Hic situs est. Sit tibi terra leuis Copirus fratri.*

Antiquitus *Cetobriga* ab Occidente Eborensem Episcopatum terminabat, Ex Bambæ optimi regis diuisione, qui finium cathedralium ecclesiārum terminatione Episcoporum lites voluit ditimere. *Episcopatus*, inquit ille, *Eborenis habeat à Cetobriga usq; ad Petram, & à Rutella usque Paratam*. Nostris quoque temporibus, Eborensis diœcesis finis, *Cetobriga* vetus est. Corrumpi cœpit nomen in *Cetobram*, quam postea, multo corruptius vulgo ineruditum *Troiam* fecit.

D E N E O C E T O B R I G A.

POST dirutam *Cetobrigam*, mutata *colonia* est, ad alteram sinus oram Septentrio-  
nem

nem versus, ab hinc annos circiter quadringentos quinquaginta, conuenientibus eo loci pescatoribus, tantaq; & ibi & Cecimbrigæ, sitæ, vti dixi, in extimo fere Barbarii promontorii litore, nobilium piscium capture est, cum mare piscesissimum sit, vt etiam ex intima Hispania plenis viis confluant mercatores. Accedit ingens candidissimi salis copia, propter salinarum toto sinu multitudinem. Cuius gratia, externarum quoque nauium magnus semper numerus aut exit, aut ingreditur. Commercio itaque tam inuestionum factum insigne oppidum est, opulentissimumque adeo ut magnarum urbium nequaquam inuidet claritati. Vocata quoque Cetobriga posterior hæc colonia est, retento prisco nomine, & vulgo Cetobra. Indies autem vergente corruptione, Cetobala. Florianus Camero pensis in commentitiis suis originibus, à Cetobala corrupto nomine, cœtum Tubalis confinxit, originemque oppidi usque à Tubala fabulatur. Ego Neocetobrigam soleo nominare distinctionis gratia, liberum cuique est alterutro vti, siue enim Cetobrigam, siue Neocetobrigam dixerit, crudite loquetur.

## D E P A C E I V L I A S I V E A V G V S T A.

**D**icta ora est, ab exitu Anæ usque ad Salaciensem sinum. Quem prius quam transgrediamur, redire ad continentem oportet, per ciuitates, non quidem omnes. Neque enim omnes recensere propositum mihi est, sed eas, quæ vel à veteribus auctoribus nominatae sunt, vel quæ inscriptionum vetustarum beneficio, aut maxiime insigni quopiam facto, nomina sibi suo merito prodiderunt. Idque semel hoc loco præfatum esse me, candidatores meminerint. Ceterum Pacem Iuliam, siue Augustā descripturus modo eram, nisi satis superque id fecisset, in bene longa ad Vasæum epistola, pro Pacensi colonia & in libello ad Franciscum Nonium, & aliis non paucis scriptorum meorum locis. Si quidem ostendi eam esse, quæ vulgo Bexa dicatur, corrupto à Mauris nomine, sitam vero in Celticis Lusitanæ populis, iuxta Strabonem, vel in confinio Celticorum, Turdetanorumq; iuxta Ptolemaeum Coloniam fuisse, & secundum Lusitanæ conuentum, & quo pacto ab ea pontificatus dignitas translata Badosam sit, prolixe etiam exposui. Ante vniuersalem Hispanæ cladem, floruit in hac urbe Apringius Episcopus scriptor eruditus, cuius in Apocalypsin interpretationem veteribus omnibus præfert Isidorus. Floruit etiâ Isidorus Pacensis cognominatus, cuius opuscula horrido parumq; culto sermone, eaq; imperfecta, & mendis senticosissimis scatentia circumferuntur. Floruere quoq; iuuenis Sisenandus martyrio Cordubæ coronatus, & Tyberinus presbyter. Extant ibi complura Romanorum monumenta, ex quibus aliquot adscribam, quæ per muros ipsius ciuitatis dispersa visuntur.

Ad portam Maurensem, versus nouam.

C. IVLIVS. C. F. . . . . II VIR BIS PRA . . . VTRIQVE.  
SEN.

Hoc est: *Caius Iulius Caii filius, Duumvir.*

Postea fragmentum in muro:

EQUIT. PRAEF. FABRVM.

Hoc est: *Equiti prefecto fabrum.*

Cippus semifractus:

M. AVRELIO. C. F. GAL. II VIR. FLAMINI CAESARIS. AVC.  
PRAEFEC. FABR.

D. D.

Hoc est: *Marco Aurelio Caii filio Galerio Duumviro Flaminii Tiberii Caesaris Augusti prefecto fabrum Decurionum, vel dedicarunt.*

Ad Portam Mytilensem:

Q. PETITIO. T. F.  
RVFO. MATER. FILIO.

Hoc est: *Quinto Petilio Titi filio Rufo mater filio.*

Fragmentum, ultra portam Maurensem, littera bessali. Desiderantur lapides in utroque capite:

CURIAE. PONT FLAM. PACIS IVLIAEVE. FLAMI. . . .

Hoc est: *Curia Pontifices, Flamines Pacis Iulia.*

Extra Muros.

D. M. S.

HEL. AERIANVS. ANNORVM XII

H. S. E. S. T. T. L.

10  
Hoc est: *Diis Manibus sacrum Helius Aerianus annorum duodecim, hic situs est, sit tibi terra leuis.*

In quodam horto:

C. IVLIO L. F. GAL. AVITO FRATRIVS. SABINVS.

Hoc est: *Caio Iulio Lucii filio Galeria auitio fratri Sabinus.*

In gradibus summi templi:

PAX. IVLI. . . .

Q. PETRON. . . .

Hoc est: *Pax Iulia Quinto Petronio.*

Ad Sanctum Saluatorem:

D. M. S.

IVL. PATERNA. ANN. XV. IVLIA TERSPICORE LIBERTAE OB-  
SEQUENTISSIMÆ

H. S. E. S. T. T. L.

30  
Hoc est: *Diis Manibus sacrum. Iulia Paterna, annorum quindecim Iulia Terpsicore liberta obsequentiissimæ, hic sita est. Sit tibi terra leuis. Errore sculptoris positum est Terpsicore pro Terpsicore, sed ego mutare nolui.*

40  
In foro Cippus:

L. AELIO AVRELIO COMMODO IMP. CAES. AELI. HADRIANI  
ANTONINI. AVG. PI. P. FILIO COL. PAX. IVLIA

D. D.

Q. PETRONIO MATERNO C. IVLIO IVLIANO II VIR.

50  
Hoc est: *Lucio Aelio Aurelio Commodo Imperatoris, Cesaris Aelii, Adriani, Antonini, Aug.,  
Pii Patris patriæ filio Colonia Pax Iulia dedicauit. Quinto Petronio Materno, Caio Iulio Juliano  
Duumuiris.*

In cochlea summi templi:

A \* \*

SEVERVS PRESBIT. FAMVLVS CHRISTI VIXIT ANN. LV RE-  
QVIEVIT I N. PACE DOMINI XI. KAL. NOVEMBRIS. ERA  
BCXXII.

Hoc est: *Alpha, & omega. Seuerus presbyter famulus Christi vixit annos quinquaginta quinq;  
requieuit in pace Domini undecimo Kalendas Novembris era sexcentesima vigesima secunda.*

In agro

in agro quattuor mil. pass. ab urbe. Represam prædium vocant.

MERCATOR. ANN. XXXII. UXOR MARITO MERENTI POST

I T. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Dius manibus sacrum. Mercator annorum triginta duorum uxori marito merenti posuit.*  
Hic sius est, *se tibi terra tenis.*

Sunt in ea urbe fragmenta alia, sed minutiora Caput imaginis Vespasiani, taurorum capita decem, aquæductus alicubi sub terra integer, alibi confractus, murorum portæ tres adhuc Romana architectura.

Intensus marmoreus lapis duorum cubitorum, in quo erant vir & puella equestris curvantantes, mirabili elegancia.

### D E O R I C H I E N S I A G R O.

O Richiensis ager, Turdetanis ac Celticis iunctus, regionem paruam efficit, octo vel ad summum decem oppidorum præter vicos ignobiles. Nomen accepit ab Orichio regionis nobiliori oppido, & quia capestris ager est, frumentarius, ac pascuus, vulgo campus Orichiensis nominatur.

Non piget eius meminisse, propter regni nostri illuc cœptam originem. Quam ut paulo altius reperam, ab æquis lectoribus condonari mihi postulo.

Magnus Alfonsus Hispanæ rex qui Toletum expugnauit, & Imperator est appellatus exuersis vxoribus tres filias habuit, Eluiriam, Therasiam, atque Orracam. Et quidem Eluiriam ac Therasiam, Rodericus Toletanus, parum Lusitanis æquus, quique illi adhæserunt, ex concubina Simena Munione natas, ut aiunt. Verum apud me chronicon Hispanica vetusta lingua habeo, factum septuaginta annos ante Rodericum, in quo eadem Simena minime concubina, sed iusta vxor & Regina diserte perhibetur. De qua re ad Iohannem Barrum scripsi, & quidem prolixe.

Ad Alfonsum igitur imperatorem, in asserenda Hispania laborantem, conueniebant magni viri, militiam suam Christiano deuouentes. Inter quos emicuere Raimundus comes sancti Aegidii, & Henricus Lotharingiæ comes, ex Germania Raimundi natus, quem illa Vngariz regi, cui inupta erat, secundo edidit partu. Hos ut talium necessitudine artius se muniret Alfonsus filiarum connubiis sibi deuinciendos existimauit. Eluiram igitur comiti sancti Aegidii, Therasiam Henrico Lotharingiæ comiti, Orracam vero trium, ut alii scribunt, maximam, ut alii autem placet, minimam, atque post Simenam defunctam, ex Constantia vxore natam, Raimundo comiti siue Burgundiæ, siue Tolosæ (neque enim inter ipsos Hispanicarum rerum scriptores satis conuenit) in matrimonium dedit. Quorum nos opinionibus prætermisis, de Henrico tantùlo quamur, cui valde dilectam sibi Therasiam tradidit. Atque ut nexus deuinctiore virum maximum quasi ad manum haberet, Callæcię partem Bracaros, à Minio usque ad Durium totumque id, quod recentior revocabulo Portugallæ tunc dicebatur, à Durio usque ad Lusitanæ urbem Conimbricam dotis nomine assignauit, liberumq; ei reliquit, ut de Saracenis Lusitaniam armis recuperaret, suoq; dominio, & ditioni adderet. Is ex Therasia coniuge, que semper regina appellata est, filium genuit Alfonsum Henricum qui patri successit in principatu, & ubi per ætatem licuit, bella gessit quamplurima, vrbes multas expugnauit, Saracenorum potentiam fregit. Quare commotus Ismarius, magna pars Africæ, Bæticæque rex, conuocatis quatuor aliis regibus, tam ex Africa, quam ex tota vltiore Hispania ratis congregatis copias, ut millia quadringenta exercitus superaret. His confusus in Alfonsum properabat, lentiis itineribus, sed animo ad vindictam concitatissimo. Nec ille legnitur processit obuiam. In agro igitur Orichiensi paulo infra Castrū viride oppidum, non procul à confliente Cobris, & Tergis fluijorum, in mutuum conspectum venientes, castra posuerunt, insedit tumulum Alfonsus, ubi vetus sacellum erat, in quo senex quidam prouectæ etatis eremiticam vitam agebat, inter Mauros, & ob paupertatem, & ob vitæ sanctimoniam, nullius iniuria lacestitus. Ismarius copiæ prope infinitæ undequeaque campis opplebant, iamque agmina circumclusa spe deuorabant. Non videbatur militibus nostris sani esse consilii, cum tanta multitudine configere. Vnus enim quisque supra centum hostes aduersum se in prælio erat habiturus. Sed militum animos

oratione spei ac fiduciae plena princeps confirmavit; dimissosq; curare corpora iubet, & crastinum diem, qui Iacobo Apostolo Hispaniarum patrōno facer erat, lētos expectare. Cum ad uesperātūisset, Anachorita ille ad Alfonsum venit, atq; oraculi denunciatione, forti esse à animo admonet, vt qua noctis hora tintinabuli, quod in sacello erat, sonum audiret, tentorium egrēderetur, apparitum illi Christum in aēre Crucis subfixum. Lētus tam op̄ato, tamq; insperato nūtio Alfonsi, totius noctis puigilio promissum expectabat. Primo itaq; ante lucem diluculo, ad tintinabuli sonum prætorium egressus, suspexit in aēre Crucifixum Dominum. Cuius visi voluptate propemodum extra mentem adsorptus, ita adorans dicebat: Ecquid Seruator mundi, tune mihi, tune appares? Quid eo opus est, in te credenti, & te summa pietate colenti? Perfidis his, tuis atq; ideo meis hostibus, tuæ diuinitatis ignarisi, potius apparere digneris, vt Crucis tuæ mysterium intelligent, ac desinant infanire.

Hæc atq; alia his similia, cum ex mentis quasi abstractione prosequeretur, Christi collaudentis, & victoriam pollicentis voce iucundissime affectus, in cœlum recepta diuina illa specie, arma postulat, armari milites, acies ordinari, & canoro tubarum concordia imperat signum dari. Quem ex procerib. quidam exercitus nomine adeuentes, postulant; inquit, fortissime Imperator, milites tui, vt regem te salutari permittas. Quibus ille: Ego fidissimi commilitones, honorificum satis inter vos nomen titulumq; Principis sortitus sum, alium non ambio. Neq; si maxime expeterem, vel poscentib. vobis morem gerere velle, id tempus, aut locus patiuntur. Sed op̄aram dabo, vt vos ducis vestri nō peniteat, vos date, vt milites dux non desiderem. Contra illi, & quæ postulas pollicemur, & nobis nō deerimus, sed pro rege pugnabimus ardentius, vincemus honestius, moriemur acrius. Cum igitur prope intulissent vim recusanti, magnis vocibus, & tubarum, lituorum, tympanorumq; sonitu ter acclamatum: *Alfonso Henrico primo Lusitania regi vita, & Victoria. Data inde militib. testera, ferebatur in hostes.*

At parte ex alia innumerabilis ille Barbarorum exercitus, tam dissonis clamoribus, tam terribili fragore perstrepebat, vt cælum ruere, terra quassari tremoribus viderentur. Commissum prælium est sanguinolentum, pertinax, diuturnum, à prima diei hora usq; ad meridiē, donec Ismatius, cuius iam vita periclitabatur, quamq; maxime nostri appetebant, reb. desperatis, & amissio in conflictu consobrino, cui sui corporis custodiā mandauerat, nomine Homar Atagor, Halli regis nepote, fugit ipse, & una reges qui cum eo erant. Tantum autem sanguinis effusum est, vt ex cœdis loco riuuli in Cobrin atq; Tergem decurrerent. Quin in secura paucos post dies pluvia, cum tinctam atro sanguine superficie lauisset, creuissentq; riuui, Terges qui ad confluētes Cobrin recipit, etiam usq; ad Anam aquas infectas pertulit. Id nos in Vincentio martyre hisce carminibus breuiter adnotauimus:

Vbi paupere Terges  
Flumine, ab Orichio segnis delabitur agro;  
Excepti cedere duces, fusæq; cohortes  
Barbarica. Ac tellus tanto est imbuta cruentè,  
Vt postquam pluiae cœdem elauere, pigerq;  
Riuus ut, contagie sua, quacumq; meabat,  
Polluerit spatiū late, fluctusq; peritos  
Funestariit Ana, torrens inglorius ante,  
Atq; vaporatis æstu Quintilibus impar.  
Post illa, indigenis factus de clade superbi  
Nobilis Ismarii.

Alfonsus igitur notius Rex, consueto victorib. more in castris triduo permanxit, & concessa militib. præda, ipse qui eatenus niueo scuto uterbat, insignia commetus est, quæ rem ibi gestam designarent. Ac primum, quia Christum in aēre Crucis subfixum conspexerit in argenteo scuto cœruleam crucem formauit. Deinde quod quinq; reges vicisset, scuta quinq; per ipsam crucem distinxit. In uno quoq; triginta numos argenteos figurauit, quod totidem mundi seruator venditus extitisset.

Mutata à postēris régib. numerorum figuratio est commodiori ratione, & in singulis quibusq; scutis, singuli quinq; numi positi, decussatim ad figurā literæ X. bis numerato, quod in medio est, & cum à summo deorsum, & cum à latere ad latus fit supputatio, vt numerus triginta expleatur. Hæc tunç ibi sumpta insignia. Castella vero aurea septem, quæ in rubro campo scuti regii oras ambiunt, ad alterius historia tractationem pertinent.

Exposuimus quanta potuimus breuitate, regum nostrorum, regniq; initium & causam, ab hinc annos quadringentos triginta quatuor. Gesta enim res est, vt mei veteres annales habent,

habet, era millesima centesima septuagesima septima. Cui annorum numero si demantur triginta & octo, manebit Seruatoris annus millesimus centesimus trigesimus nonus. Cum hæc proderem, agebat annus M. D. LXXII. Subducta ergo ad calculos ratione apparet, interfluxisse quadringentos triginta quatuor, quos dixi, annos.

D E A R C V E X T R V C T O A S E B A S T I A N O R E-  
ge in victoria loco.

**I**Am discessissem ab Orichio, nisi piaculum esset, regis nostri Sebastiani recens factum  
10 non commemorare. Is initio huius anni, Algarbi regnum adiit, ut oppida omnia maritima, quam munita essent, suis oculis, perspiceret. Et siquid ad munimentum deesse videretur exactissimo suo iudicio, & rei bellicæ peritorum consilio præsens vel suppleret, vlnouaret, vel corrigeret. Fecit autem iter per Orichiem agrum, & victoriæ memorabilis loca omnia perlustravit.

Nullum ibi erectum trophyum, nullam inscriptionem, tantum sacellum illud ignobilis fabrica, non semel refectum, rusticorum tamen cultu religiosum reperit. Puduit illum incurie, ac socordia seculi superioris. Atqui vt excusari mereatur, etas hominum illorum, qui in continuis bellis vitam agebant, & promptiores ad præliandum dextras habebant, qua ad litteras illa tempestate sepultas, inclinatoria ingenia: non tamen miranda non est, florentibus postea rebus, & renata philologia, obliuio tam diurna. Nisi quod natura comparatum ita est, vt quæ optima sunt, non omnia simul, sed per temporum interualla emergant. Sebastianus igitur mira pietate affectus, vt & apparitionis Christi, & Regis maximus, inclitaque victoriæ memoriam rediuiuam ficeret, diruto veteri sacello, templum inædificari præcepit, atq; extructo nobili arcu mihi inscriptionis curam demandauit, ita vt altera ex parte latine, ex altera Lusitano idomate, latina sic habet:

*Heic contra Ismarium, quatuorq; alios Saracenorum reges, innumeramq; barbarorum multitudinem pugnaturus felix Alfonsus Henricus ab exercitu primus Lusitan. Rex appellatus est, & à Christo, qui ei Crucifixus adparuit ad fortiter agendum commonitus, copius exiguis tantam hostium stragem edidit, vt Cobris ac Tergis fluviorum confluentes crudore inundarint. ingentis ac stupenda rei. ne in loco ubi gesta est, per infrequentiam obsolesceret. Sebastianus I. Lusit. Rex, bellicæ virtutis admirator, & maiorum suorum glorie propagator, erecto titulo memoriam renouauit.*

D E C O L L A.

**C**olla fuit interius in media Orichiensi prouincia, non procul à Messageno inter colles, nec scio an hodierum nomē hoc inde traxerit. Non mediocre erat oppidum. Extant muri & turres cæmētio opere neque satis polito. Aditus perdifficilis est, & ad defensiones accommodatus. Non habitatur, tantum Dominicis, & solennibus aliis diebus rusticorum vicinia eo confluunt, ad templum Virgini Christi matri dicatum, vbi sacerdos iisdem diebus, sacris altaribus operatur. In angulo turris semidiruta mensa elegans marmorea:

C. MINICIVS. C. F. LEM. IVBATVS . . . LEG. X. GEM. QVEM IN  
PRÆLIO CONTRA VIRIATVM VOLNERIBVS SOPITVM IMP. CLAV  
DIVS VNIMA . . . PRO MORTVO DERELIQVIT. EBV. . . TIS LV-  
SITANI OPERA SERV. . . RARIQVE IVSSVS. PAVCOS SV . . .  
DIES. MAESTVS OBI. QVI A. . . MERENTI. MORE ROMA . . .  
AM NON RETVLI.

**H**oc est: *Caius Minicius Caii filius Lemonia iubatus Tribunus legionis decima gemina, quem in prelio contra Viriatum vulneribus sopitum, imperator Claudius Unimanus pro mortuo dereliquit, Ebuvii militis Lusitani opera seruatus, curaque iussus, paucos superuixi dies, mæstus obii, quia benemerenti, more Romano, gratiam non retuli.*

Ad ianuam templi ingens cippus est, inter columnas ibi iacentes olim ornatus causa positus, qui me amplius horis tribus ad fastidium detinuit. Tam male à barbaris hominibus habitus est, vt spem percipiendi integre sensum plane deposituerim.

Auis in modum Gracculi, altera similis mutuo se respicientes;

D. M. S.

B. SVRSI F. VC. . . . . BRIANÆ. COIVGI . . . . .

*Tomus II.*

Mmm

## RESEND. ANTIQVIT. LVSIT.

NCTISSIME. TV . . . . VM. POSITE VICS . . . .  
 N. XXXVIII DIE. . . . . S. XVII. SI QVAN . . . .  
 PIET . . . SFRM. TI . . . . ANTVM FORTV...  
 GER. LITE AVREC. . . . . IT. T. POSVI.  
 S . . . . VALE.

Hoc est: *Diis Manibus sacrum. Balbus Surfi filius coniugt sanctissime tumulum posuit. vixit annos triginta octo, dies septendecim.*

## DE SINI.

**N**on omittenda sinis est, maritimum oppidum, & propter piscationem non parum vicinæ regioni conducibile. Ibi in templo cippus fractus est cum his litteris:

AN. L. CLAVD. THALASSINVS MARITE MERENTISSIME  
 H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Annum quinquaginta, Claudius Thalassinus, marite merentissime hic situs es, sit tibi terra leuis.*

Permurus, iuxta terram, & quasi iam ruderibus cooperatum;

D. M. S.  
 FVLVIUS. L. F. QVINTIANVS FABER. MATERIARIUS PI-  
 VS IN SVOS VIXIT ANN. XLVI. RUBRIA. Q. F. SERGIL-  
 LA. MEROBR MARITO. B. M. FEC  
 H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Diis Manibus sacrum. Falnius Lucii filius Quintianus faber materiarius. pius in suos vixit annos quadraginta sex, Rubria Quinti filia Sergilla Merobrigensis marito benemerenti fecit. hic situs est, sit tibi terra leuis.*

In quadam turri:

D. M. S.  
 IVLIA. C. FIL. MARCELLIN A. A. XXX.  
 H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: *Diis Manibus sacrum. Julia Caii filia Marcellina annorum triginta, hic sita est, sit tibi terra leuis.*

## DE HELVIS.

**P**RIMO libro admonuimus urbem Helvas in Celticis nostratis esse. Nomen accipit ab Helvis Celticæ Galliæ populis, inter Garumnā & Ligerim habitantib. de quib. Strabo 4. lib. agit. Plinius *Albam* eorum ciuitatem nominat. Ab Helvis igitur Celtarum populis, qui inter Celtas olim ad nos venere, Helvæ ciuitas nominata, quod nomen à conditoribus obtinuit, etiam hodie retinet. Vrbs fertilitate soli, & nobilitate ciuium, ut postremas non fert, ita olei bonitate sine controversia primas obtinet. Dicæcisis Eborensis hactenus fuerat, verum agente Sebastiano rege, Episcopalem dignitatem adepta, metropolim unde excisa est, nihilominus agnoscit. Non multa ibi sunt Romanorum monumenta, & quæ sunt, pessime à Barbaris habita, ita inueni; Iuxta portam arcis, quam Alcassauam vocant, fragmentum.

FEL. CEPAL. ONIS F. SEVERVS. AN.

Hoc est: *Felix Cepalonis filius Severus annorum. In domo cuiusdam viri nobilis, tabula elegans;*

C. AXONIVS. Q. F. PAP. LEG. XX. NAT. COL. FIR. FI-  
 CENO. SE VIVO MONIMENT. FEC. SIBI. ET  
 FR. Q. AX. Q. F.

Hoc est:

Hoc est: Caius Axonius Quinti filius Papiria legionis vigesimus natus coloniae Formica Piceno se viuo monumentum fecit sibi, & fratri Quinto Axonio Quinti filio.  
Iuxta parthenonem Virginum instituti sancti Dominici, cippus;

ANTHYMVS REB . . . SCIENTINI. ET CE . . .  
LERIS SVR . . .  
V. S. A. L . . .

10 Hoc est: Anthymus Reburri Scientini, & Celeris seruus votum soluit animo libenti, vellibens.  
In agro, quem vocant Ventosæ, lapis oblongus, videlicet cubitorum septem, latus cu-  
bitum, & semissem, rudis atque impolitus, quem fabulantur sepulchrum esse Bertrandi v-  
nius ex duodecim Franciæ paribus:

CACALO AVIOLI LIB. HIC SIT.

Hoc est: Cacalo Avioli libertus hic situs.  
In domo tabula marmorea fracta elegantilittera:

20 INSIGNEM PARVO . . . MANS CARMINE AMOR . . .  
REQ. IN PACE D XIII KAL . . . MART. ERA.  
DLXXXII . . .

Hoc est: Insignem parvo mansurum carmine amorem, requieuit in pace Domini decimo tertio  
Kalendas Martias era quingentesima octuagesima secunda.

V I L L A V I Z O S A.

AB Heluis digredientem intercipit nobilissimum oppidum, Brigantii ducum sedes,  
quod ab amoenitate Lusitanus idiotismus Villam Vizosam nominavit. Vno nomine  
30 Latine dici non potest, nisi Callipolin Græce configamus, audaci fortassis exemplo, sed  
lectoribus postquam ea vox assiduitate percrebuerit, minime displicituro. Proserpinæ ibi  
delubrum fuit, vbi modo S. Iacobi ædes est, in suburbio, vbi hæc inueni monumenta:

PROSERPINÆ SANCTÆ G. IVLIVS PARTENOPÆVS. VOT  
QVOT FECIT  
A L P

Hoc est: Proserpina sancta Gaius Iulius Parthenopæus, vota quot fecit animo libenti posuit.

40 Q. HELVIUS SILVANVS PROSERPINÆ VOTVM  
S. AN. L. P.

Hoc est: Quintus Helvius Silvanus Proserpinae votum soluens animo libens posuit.

PROSERPINÆ SERVATRICI C. VETTIUS SILVINVS. PRO.  
EVNOIDE PLAUTILLA CONIVGE SIBI RESTITUTA  
V. S. A. L. P.

Hoc est: Proserpinae Seruatrici Caius Vettius Silvinus pro Eunoide Plautilla coniuge sibi restituta,  
votum soluens, animo libens posuit.

50 D. M. S.  
PVLTARIUS AN. XXIII. H. S. E. S. T. T. L. SEMNE. ET.  
SEMN . . . MATRI. POSVERVNT

Hoc est: Dius Manibus sacrum. Pultarius annorum vigintitrium, hic situs est, sit tibi terra leuis.  
Semne & Semnina matri posuerunt.

Ibi etiam modo visuntur inscriptiones Endouellici, quas clarissimus Dux Theodosius  
ex antiquo fano, quod extat iuxta oppidulum Therennam, aportari curauit, & inseri in  
frontispicio cœnobii fratrum ordinis S. Augustini. Sunt autem huiusmodi.

DEO. ENDOVELLICO PRÆSTANTIS SIMI. NVMINIS SEXTVS  
COCCIVS CRATERVS HONORINVS. BOVES. ROMANVS.  
EX. VOTO

Cippus fractus.

ENDO VELLICO ALBIA IANVARIA.

ENDOVOLLICO SACRARVM. MARCVS. IVLIVS. PROCVLV  
ANIMO. LIBENS. VOTVM SOLVIT.

DEO. ENDOVELLICO. SAC. IVNIA. ELIANA. VOTO. SVC-  
CEPTO ELVIA. YBAS. MATER. FILIE SVÆ. VOTVM. SVC-  
CEPTVM ANIMO. LIBENS. POSVIT.

Hæ inscriptiones adeo clare sunt; vt expositione non indigeant.

D. ENDOVELLICO. SA. AD RELICTITIVM. EX T. NVMIN.  
ARRIVS. BADOLVS. A. L. F.

Hoc est: Deo Endouellico sacrum ad relictum ex testamento numini Arrius Badolus animo libens fecit.

Q. SEVIVS. Q. F. PAP. FIRMANVS VOTVM DEO ENDOVOLICO  
S. L. M.

Hoc est: Quintus Sevius Quinti filius Papiria Firmanus votum Deo Endouellico Soluit Libens  
merito.

ENDOVELICO CRITONIA MAXVMA EX VOTO. PRO CRI-  
TONIA. C. F.

Hoc est: Curavit faciendum.

Hic Cippus allatus est illinc ad arcem oppidi Lendroalis, vbi nunc extat.

C. IVLIVS NOVATVS ENDOVELLICO PR. SALVTÈ VI-  
VENNIÆ VENYSTAE MANILIÆ. SVÆ VOTVM. SOLVIT.

Nominis Endouellici causam, aut originem ego penitus ignoro. Nisi si ab oppido propinquo, quod Endouellia forte dicceretur, nomen esset impositum. Quod si nebuloso infelicitatis & tuo superstitionibus addicti Lusitani fuere, certe Euangelica luce radi ante morati diu non sunt, quin veri Dei cultum, & religionem amplecterentur. Mancio Christi discipulo gloriantur Eborenses, à quo cœlesti doctrina sunt iniciati. Debent hoc Bracarenses Petro Ratensi, Apostoli Iacobi discipulo. Propagata breui religio est, & in uitis tyrannis mira pietate adoleuit. Quam natio Lusitana incorruptam, vt à sanctis patrib. accepit, ad nostra hæc tempora custodiuimus. Et quod non sine magno Dei munere nobis contigit, nec sine magna mea voluptate refero, quassantibus orbem sectis, incolumi religione, integræq; sacrosanctæ Apostolicæ sedis auctoritate, perseverat. Nec solum id, sed longe lateque etiam per vasti Oceani recessus, & ante nunquam prioribus cognitas regiones, Orientemq; totum, & Antipodas, ipsu Seruatoris nomen propagare non cessat:

D. M. S.

P. PETRONIVS. CAVTIN. ANN. LXXXVI LAVDICE MARI-  
TO PIISSIMO POSVIT

H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Diis Manibus sacrū Publius Petronius Cautinenis annorum nonaginta unius Landicoma-  
rito piissimo posuit, hic situs est, sit tibi terra leuis,

DE IOVIS FANCO.

SUPER Exatramam huium, duobus pass. millibus infra Terranum oppidum, Iottis  
fuit

fuit olim fanum. Quod adulta iam Christiana pietate in templum sanctorum martyrum Iusti & Pastoris conuersum est. De quo egi in libello ad Ambrosium Moralem Complutensem virum s̄pē alias, luculentæ eruditionis gratia in his commentariis nominandum.

Supra ianuam templi Gothica inscriptio.

\*HVNC DENIQUE EDIFICIVM SANCTORVM NOMINE CE-  
PTVM IVSTI ET PASTORIS MARTYRVM QVORVM CON-  
STAT ESSE SACRATVM CONSUMMATVM EST OC OPVS E-  
RA DCCXX.

Hoc est: Hunc, pro hoc, deniq. edificium sanctorum nomine ceptum Iusti, & Pastoris martyrum, quorum constat esse sacratum consummatum est oc, pro hoc, opus era septingentesima vigesima.

I O VI. O. M.

FLAVIA. L. F. RUFINA EMERITENSIS. FLAMINICA PRO-  
VINC LUSITANIAE. ITEM COL. EMERITENSIS. PERPET.  
ET MVNICIPI. SALACIEN.

D. D.

Hoc est: Ioui opt. maximo. Flavia Lucii filia Rufina Emeritensis. Flaminica provincie Lusitanie, item colonie Emeritensis perpetua, & municipii Salaciensis dedicauit. Ex uno latere est arbor mihi incognita. Ex altero latere Aquila expansis aliis quasi subulatura, in vnguib. trisulcum fulmen habens.

Cippus aliquantō minor sed elegantior:

I. O. M.

OB PVLLOS A Q. SERTORIO MATELLVM AD Q. POMP. IVN.  
DONACE CORON. ET SCEPTRVM EX ARG. MVNVS AD-  
TVLIT FLAMINICAE PHIALAM CAELATAM HIERODVLIS  
COENAM DEDIT.

Hoc est: Ioui optimo maximo. Ob pulsos à Quinto Sertorio Metellum atq. Pompeium Innia Donaco coronam, & sceptrum ex argento munus adtulit Flaminica Phialam cælatam, hierodulis cœnam dedit.

Alter cippus elegantissima littera:

L. RVBRIVS PRISCINVVS ANN. XXVI. H. S. E.

Hoc est: Lucius Rubrius Priscinus annorum viginti sex, hic situs est.

Sunt tres cippi, sed positi in parietib. templi, connectis interius litteris.

Cubæ non procul Pace Iulia in templo Cippus;

D. M. S.

TERENTIVS. CHRYSOGONVS ANN. XXXII. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Dius Manibus sacrum. Terentius Chrysogonus annorum triginta duorum, hic situs est, si tibi terra leuis.

Interritorio Ferrarensi, super Callipodeim fluum, quem Sardanum vocari nostra x-  
tate superius diximus, templum Sanctæ Margaritæ dicatum est, vbi olim fortunæ Obse-  
quentis delubrum fuerat, à Flavia Modestina Sergii Terentii Æmiliani Centurionis vxo-  
re ædificatum. Qui, vt apparet, sub L. Posthumio Albino militauerat & emeritus ac di-  
ues, ad quietem se contulit, in prædio vxorio. Hoc ex duobus ibi Cippis colligitur. È  
quibus alter sic habet:

FORTVNÆ OBSEQUENTI. SACRVM FLAVIA MODESTI-  
NA PERP. EIUS ANTISTES EX VOLVNTATE TERENTI. Æ-  
MILIANI VIRI SVI. IN PRAEDIO A PATRE FL. MODE-  
STO SALACIENSI SIBI RELICTO. A. L. F.

Tomus II.

M m m 3

Hoc est: *Fortuna et obsequenti sacrum. Flavia Modestina perpetua eius antistes ex voluntate Terentii Aemiliani viri sui, in prædio à patre Flavio Modesto Salaciensi sibi relicto animo libens fecit.*

Alter vero in duas partes fractus sic.

D.	M.	S.
SERG. TERENTIV. . . .	S. SERG. F. AEMI . . .	LIA-
NVS CENTVR. EMER. VIX. N. . .		LXX ORDIN. DVX.
SVB . . . . L. POST . . .		VMIO MODES . . .
NA. MARITO. MERENTISSIMO		
H. S. E. S. T. T. L.		

Hoc est: *Diis Manibus sacrum. Sergius Terentius, Sergii filius Aemilianus centurio Emeritus, vixit annos septuaginta, ordines duxit sub Lucio Posthumio, Modestina marito merentissimo posuit, hic satus est, sit tibi terra leuis.*

## S C H O L I A I A C O B I M E N O E T I I V A S C O N C E L L I

*In quatuor libros Resendii.*

### L I B R O P R I M O.

**P**ag. 899. lin. 13. *Afferit Plinius. Libro videlicet tertio cap. i. his verbis: In uniuersam Hispaniam Marcus Varro peruenisse Iberos, & Persas, & Phoenicas, & Paenam tradit. Lusum enim Liberi patris, aut Lysam cum eo bacchantes, nomen dedisse Lusitanie, & Panam prefecit eius uniuersae.*

Ead. pag. 899. lin. 7. *Alii Lusum non hominem, sed ludum potius, seu Lusinam interpretantur. Marcianus Capella lib. 6. qui de Geometria inscribitur in ea fuit sententia, ubi ita tradit agens de Lusitania: Cui nomen fabula à Lusu Liberi patris, vel cum eo Bacchantium sociavit. Addit & aliam non minus ridiculam opinionem, credens Anam fluuium à Lusitanię vocabulo cognominati, hisce verbis: Hac quoque cognominis sui fluvio permeatur, licet eam Tagus quoque arenis illustret auratis.*

Ead. pag. lin. 22. *Nec desunt, qui pro Lysa, Lyssam reponant. Fuit in ea sententia Sigismundus Gelenius in obseruationibus in Plinium lib. 3. cap. i.*

Eadem pag. lin. 29. *Suppositius Berosi auctor intellexit. Ioannes Anthius in libro de Regib. Hispaniae cap. 20.*

Ead. pag. lin. 36. *Vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero. In sexta actione, quæ incipit: Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat studium; non longe à fine orationis, eius autem verba sunt hec: Aristæus, qui ut Græci ferunt, Liberi filius inuentor olei fuit.*

Ead. pag. li. 41. *Vnde ipse etiā Bacchus Lysius cognominatus est. Pausanias in Bœoticis circa meidū libri noni, dū Thebanæ vrbis antiqua monimenta enarrat, ita scribit: Theatro proxima est Liberi patris ædes cognomento Lysii. Cognominis causa, quod cum olim captiños complures ex Thebanis vincitos Thraces abducerent, eos cum ad Haliartiorum fines ventum esset, vinculis solutos dimisit, moxq. illis Thracas somno oppressos, occidendos præbuit. Hæc ille. Aliqui vero credunt à dissol- uendis, & enervandis animis, quod ex vini copia accidere solet: vel quod curis liberos eos reddat, ita Bacchum fuisse appellatum.*

Pag. 900. lin. 6. *Stephanus autem in lib. de Vrbibus. in dictione Belitani. Nec mirum est in hoc errasse Stephanum, vt pote Græcum scriptorem, & qui Hispaniæ situm, ac vrbes, minime ipse peragrasset, quod alios quoq. Græcos decepit, telste Polybio.*

Extat etiam similis error apud cundem Stephanum in dictione *Lusitanie*, dum eam assertit partē esse Bæticæ, cum vltior Hispania in duas prouincias diuisa olim fuerit, Bæticam videlicet, & Lusitaniam, quod obiter admonere volui, ne eius auctoritas quemq. decepiat. hoc Resendius etiam animaduertit.

Pag. 900. lin. 21. *Strabo enim. vide Strabonem lib. 3. fol. 103.*

Pag.

Pag. 90 i. lin. 4. *Ptolemaeus.* Libro secundo, vbi agit de Lusitanis situ.  
 Ead. Pag. lin. 22. *Ante annos quadraginta, &c.* Hæc de Artabro promontorio tam diffuse tradita mihi semper superuacanea sunt visa: quia meo iudicio, neq; Pintianus, neque ipse Resendius exacte sensim Plinii sunt assecuti. Vnde accedit, ut eius verbis vim inferre sint conati. Plinius enim, cum prius de Celto, seu Nerio promontorio lib. 4. ca. 20. verba fecisset, & à Minio, ac Limia fluuiis ad Durum peruenisset, tunc demum de Lusitania agere coepit in ipso vigesimo capite, cuius initium est: *A Durio Lusitania incipit.* Nec aliquid eorum, quæ mox sequuntur ad Nerium promontorium pertinere potest. Miror autem tam insignes viros non aduertisse Celticum promontorium nunquam apud Geographos Artabrum appellari, sed semper Nerium, aut Celticum, quamvis omnes consentiant ita illud Artabros populos, seu Artotrebras, vel Arotebras habitare. In eo etiam decepti sunt quod crediderint Nerium frontem esse Hispaniæ, cum aperte Plinius eodem capite vigesimo afferat frontem Hispaniæ tribus effici promontoriis, videlicet Olyssonensi, Sacro, & lunonio, ita vt Sacrum ē media quoque fronte eruimat. Certum est etiam Olyssonense, seu Artabrum, cœlum, terras, & maria disternare, vt tradit Plinius. Nam quemadmodum Iunonium seu Calpe australe, & occidētale latus Hispaniæ diuidit, ita magnum seu Olyssonense, vel Artabrum frontis occidentalis est terminus, & ab eo septentrionalis latus incipit, quamvis ad occasum etiam aliquantulum vergere videatur usque ad circumflexum Nerii promontorii, a quo penitus ad septentrionem terra conuertitur, vt Pomponius Mela tradit lib. 3. cap. primo. Quod vt facilius intelligatur, expendantur verba eiusdem Pomponii libro secundo capite sexto quæ sīchabent: *Lusitania Oceanō tantummodo obiecta est, sed latere ad septentrionem, fronte ad occasum, ex quibus aperte constat ea littora, quæ à promontorio Olyssonensi, usque ad Minium amnem extenduntur, latus septentrionale Lusitaniae efficerent.* Quæ vero à Celto seu Nerio ad Gallicum Oceanum tendunt, latus septentrionale Hispania totius, non autem Lusitania constituant.

Ead. Pag. lin. 48. *oppidum & flumen Aeminium, &c.* Aeminiū Ptolemæo oppidū est in Lusitania, Plinio oppidum & flumen lib. 4. cap. 21. & 22. Fit etiam illius mentio ab Antonino in Itinerario, cum illud iter describit, quod ab Olyssone Bracarum ducebat. Fuit autem Aeminium loci vbi hodie est oppidum dictum vulgo Agata seu Augeda, quod flumine eiusdem nominis alluitur, & recepta hac sententia, in qua etiam fuerunt Vasæus & Barrerius, emendari debet codex Antonini hoc ordine, *Conimbrica Aeminium quadragesima millia passuum, Talabricam decem millia passuum.* Est autem Conimbrica oppidum illud antiquum, quod dirutum cernitur & vulgo Condexa vetus dicitur. Talabrica vero fuit prope oppidum maritimum, q; hodie Aueiro dicitur, & sic bene quadrat passuum numerus à me restitutus. Nam à Condexa Agatham sunt decem circiter leucæ, & ab Agatha Talabricam duæ cum dimidia. Erat autem in codice Antonini numerus transpositus, & præpostere mutatus. Hinc apparet reiiciendam esse illorum opinionem, qui existimarunt idem esse oppidum Aeminium, & illud quod hodie Conimbricam seu Colibriam appellamus, & eundem fluum Mundā & Aeminium. Nam vt cetera argumenta breuitatis causa omittā, id aperte Plinianis verbis repugnat, qui in allegato ca. 22. libri quarti cum prius Aeminium flumen & oppidum nominasset, statim hæc verba adiecit. A Durio Tagus decentis millibus passuum, interueniente Munda. Præterea habeo apud me Codicem vetustissimum, cuius sæpe mentionem faciunt Vasæus, & Resendius, qui inscribitur Chronica Gothorum. Vbi inter cetera, quæ gesta fuisse narrantur ab Alfonso quarto Ordoni filio, cognomento magno, hæc ad verbum scripta sunt:

*Multos quinetiam inimicorum terminos acquisiuit rex iste. Cepit namq; castrum, quod dicitur Nazan. Antenam vero pace acquisiuit. Conimbricā ab inimicis possessam hereditauit, & ex Gallæcis postea populauit. Multa quoq; alia castra sibi subiecit. Eius tempore Ecclesia crenit, regnumque ampliavit. Urbes quoq; ista à Christianis populantur: Scilicet Bracharensis, Portugallensis, & Aminensis, atque Lamecensis. Hactenus ille, Ex cuius verbis aperte colligitur Aeminium, & Conimbricam diversas fuisse ciuitates, & ex consequenti Mundam, & Aeminium diuersa flumina.*

Pag. 90 5. lin. 16. *De Vettionibus, &c.* Florianus Campensis libro secundo capite decimo. Ait Vettiones à Beronibus corrupto vocabulo denominatos fuisse, & eorum regionē, quæ Lusitanis pars erat, fuisse figura triangulāri, seu triquætra, ita vt latus Septentrionale inciperet ab eo loco, quo Piiorga fluuius Durio miscetur, usque ad xx. m. Passuum, seu quinque leucas infra oppidum vulgo dictum Fermosel, quod ad ripas ipsius Durii situm est, intra terminos antiquæ Lusitanæ, qui viginti sex leucis circiter extendebantur ab eo latere. Alterum vero latus à dicto oppido Fermosel per Rodericopolin, & Capram usque ad fluuium

quo Lustania à Bætica diuiditur, extendit. Latus vero Orientale describit à flumine Ana, usque ad Durium, vbi Pisorgam excipit, ducta linea per eum tractum, in quo est oppidum dictum hodie Villa Noua dela Serena, ita ut includeret hæc regio intra fines suos Salmanticam, Bletisam, Fermosel, Bejar, Rodericopolin seu Merobrigam. Licet aliqui putent Mirorbigam seu Mirobricam esse oppidum vulgo dictum *Guadramiro*: Ciuitatem autem, seu Rodericopolin esse Augustobricam. Vide Vasorum tomo primo capite decimo.

Pag. 911. lin. 48. *Cetratos pugnare pedites, &c.* Cetram nonnulli crediderunt esse illud scutum genus, quod vulgo Adargua dicitur, inter quos fuere noster Resendius & Ambrosius Moralis lib. 8. cap. 25. Sed illorum opinioni aperte refragatur locus Silii Italicis libro tertio vbi ita canit.

Fibrarum & pennæ, diuinarum sagacem  
Flammarum misit dunes Callecia pubem,  
Barbara nunc patriis vulantem carmina linguis,  
Nunc pedis alterno percusa verbere terra,  
Ad numerum resonas gaudentem plaudere Cetras.

Cum enim Cetras resonas hoc est tinnitum & sonitum edentes vocet, manifeste innuit esse illa parua scuta, quæ Bluqueria dicuntur ex ligno fabrefacta atq; re concreta, quæ clarissimum sonitum inter se collisa edunt, ad quem (veluti Sistris olim Corybantes) Hispani milites tripudiare solebant, quod coriaceis illis & maioribus scutis, seu parmis nequaquam conuenire potest. Ad stipulatur huic sententiae Imago ipsius Hispaniæ, seu effigies, quam idem Ambrosius Moralis apponi curauit in principio operis sui, quæ altera manu Iacula & Cetram hoc est Bluquerium, altera vero spicas gerit. Hactenus ad lib. 1.

Lib. 3. pag. 946. lin. 43. *Item ab Olyssipone, &c.* Videtur Antoninus propter Emeritensis Coloniam dignitatem, quæ eius tempore in Hispania fere principatum obtinebat, complura itinera ad eam ducentia ex diversis locis describere voluisse, inter quæ tria ab Olyssipone commemorat, duo per extrema latera & ita longiora, tertium vero quasi medium & compendiosum. Sunt autem hoc loco exemplaria mire depravata.

### P R I M U M I T E R I T A E M E N D A R I D E B E T.

Ab Olyssipone Emeritam M. P. 212. Sic vel 208.

Equa bona	M. P. 12.	Couna.
Cetobrica	M. P. 12.	Setuual.
Ciciliana	M. P. 12.	Agualua.
Malceca	M. P. 8.	Marateca.
Salacia	M. P. 20.	Alcacer.
Ebora	M. P. 40.	Euora.
Ad Anam fl.	M. P. 60.	Guadiana por Badaios.
Euandriana	M. P. 12.	Talaueruela.
Emerita	M. P. 36.	Merida.

Sunt M. P. 212. Forf. 208. Leucæ autem 53.

### S E C U N D U M I T E R I T A L E G I, E T E M E N- dari debet.

Ab Olyssipone Emeritam M. P. 212. Forf. 210. Leucæ vero quinquaginta tres, in hunc modum.

Hierabrica	M. P. 30.	Pouos.
Scalabi	M. P. 22.	Santarem.
Tubucei	M. P. 32.	Abrantes.
Fraxinum	M. P. 32.	Alpalhano ougauiano.
Medobriga	M. P. 30.	Aramenha.
Ad septem Aras	M. P. 14.	Forf. 16. Acumar.
Plagaria	M. P. 20.	
Emerita	M. P. 30.	

T E R.

Ab Olyssipone Emeritam M. P. 186. vel 196. In hunc modum.

Aritio prætorio	M. P. 38. Benauente.
Matusaro	M. P. 50. Ponte do Sor.
Elteri	M. P. 20. Alterdochano.
Ad septem Aras	M. P. 28. Fors. 38. Acumar.
Buduā	M. P. 12. Nossa S. de Betoue.
Plagiaria	M. P. 8.
Emerita	M. P. 30.

M. P. 186. vel 196. Leucæ vero 46. & dimidia vel 49.

Et ita compendiosum hoc iter breuius erat spatio sexdecim P. M. Quæ leucas  
quatuor constituunt.

Suspicio etiam Antoninum describere voluisse aliud iter à Salacia Ossonobam, cuius  
mansioes omnino desunt, nisi pro Salacia Balsam reponamus, ut numerus sedecim M.P.  
recte quadret, licet mihi non fiat verisimile, tam exiguum locorum interuallum pro itine-  
re esse computandum.

VRBIVM, CIVITATVM ET OPPIDORVM NOMINA LATINA.

F	Orum Limicorum	Ad septem Aras
N	Næbis	Elteri.
B	Bracara Augusta	Matusarum
A	Aqua Flavæ	Aritium Prætorium
C	Concia seu Contium	Equa bona
C	Calem	Cetobrica
L	Lama & Lameca	Ceciliana
L	Lancobriga	Malceca
T	Talabriga	Salacia vrbis Imperatoria
A	Aeminium	Ebora liberalitas Iulia
C	Conimbrica	Calantica
S	Seilia	Cœlium
E	Eburobritium	Saurium
C	Collipo	Heluui
S	Scallabis, seu Iulium præsidium	Noua ciuitas Aruccitana
I	Ierabriga	Serpæ, vnde populi Serpentes
M	Moro	Pax Iulia
O	Olysippo felicitas Iulia	Mytilis Iulia
T	Tubucci	Merobrica
F	Fraxinum	Lacobriga
I	Igædita	Portus Hannibalis
A	Amæa	Ossonoba
M	Medobriga	Balsa.

V R B I C A R I A.

Ponte de Lima	Santarem
Neiuia	Pouos
Bragua Colonia	Almoroulou Punkete
Chaves	Lixboa
Miranda de Douro	Abrantes
O Porto	Alpalhano, ou Gauiau
Lamego	Idanha, Velha, Aguarda
A Feira	Portalegre
Auciro	Aramenla
Agueda, vbi etiam flumen	Azumar
Condexa à Velha	Alter do chano
Seire	Ponte do Sor
Euora de Alcobaza	Benauente
Leiria ex ruinis	Couta

Setuual.	Moura.
Agualua ou Agoa de Moura.	Serpæ.
Marateca.	Beia.
Alcacer do sal.	Mertola.
Euora.	Santiago de Cacem.
Arraiollas.	Lagos.
Ceice iunto de Thomar.	Villa noua de Portimano ou Aluor.
Soure.	Estoi prope Pharum.
Eluas.	Tauilla.

P O P V L O R V M N O M I N A , S E V P R O V I N C I A .  
rum, in quas Lusitania diuiditur.

**T**urdetani populi, qui hodie Algarbienses, inter Anam fluuium, & Oceanum usque ad Pacem Iuliam extenduntur, ita ut etiam Orichii campum occupent. Algarues, & campo de Ourique. Lusitani dicuntur proprie & peculiari nomine illi, qui Turdetanorum latius septentrionale contingunt, & à Celticis, seu Heluiis usque ad Cetobricenses, & Olysiptonenses, per Eborenses, & finitimos populos extenduntur. Vulgo Entre Tejo & Guadiana. Pesures, seu Paesuri ultra Tagum per Herminios montes usq; ad Cudam fluuium incolunt. Comarca de Couilham & Serra da Estrella. Transcudani populi, qui ultra fluuium Cudam, hodie Coami inhabitant. Riba de Coa vulgo. Barbarii statim post Lusitanos à Cetobriga usque ad mare collocadi sunt, vbi etiam Barbarium promontorium. Turduli populi à Durio usque ad Mundam, pertinent non procul à Mari, qui tractus hodie Beira dicitur. Bracari populi sunt, qui à Minio usque ad Durium incolunt, & ideo Interamnenses appellantur. Antredoraminho, Aquiflauiehes populi sunt, qui ultra Bracaros ad Orientem sollem, & versus septentrionem extenduntur usq; ad Brigantium, & Mirandensem ciuitatem iuxta Durium sitam, & ultramontani vulgo dicuntur, ibique maxima est Lusitaniae latitudo. Tralos montes.

## F L U V V I O R V M N O M I N A .

A Nas fluuius	Godiana.
Auus	Rio Auc.
Minius	Minno.
Tagus	Tejo.
Callippus	Cadam.
Durius	Douro.
Limia, seu Lethè	Lima.
Vacua	Vongua.
Munda	Mondeguo.
Tamacá	Tamagua.
Cuda	Coa.
Ozecarus	Zezeré.
Subur	Sor.
Ancus	Rio de Soure.
Seilia	Seire, est etiam oppidum.
Æminium	Rio Dagueda & opp.
Næbis	Neiuaria & oppidum.
Celandus	Rio Grefones.
Cadauus	Rio cauado interfam. & sposende.
Malceca	Marateca ribeira, & oppidum.
Ceciliana	Agualua ou agea de Moura.
Nabati Flu. qui Tomarium interfluit.	

Libr. 4. pag. 205. lin. 17. Dicitur Ardiburi profuisse Lacobrica septem, &c. In chronicis, quod Wandalia inscribitur, cuius auctor fuit Albertus Krantz libro primo cap. vigesimo, fit mentio Ardaburi ducis rei militaris peritissimi tempore Valentiniani Imperatoris. Constat autem ex ratione temporis eundem fuisse illum, & hunc, quem Baptista Mantuanus Ardiburum nominat.

Pag. 961. lin. 41. C. Minicius, &c. Hæc inscriptio mihi omnium, quæ hactenus in Lusitania repertæ sunt, dignissima semper est visa, quæ in hominum notitiam deuenire, & à Lusitanis perpetua memoria conseruari deberet. Continet enim pium quoddam, & illustre facinus cuiusdam militis Lusitani, cui (quantum ex contractis litteris coniicere licet) Ebutio nomen fuit, à quo Caius Minicius tribunus militum, qui à suis pro mortuo derelictus fuerat, seruatus, & omnibus humanitatis officiis excultus fuit. Quod exemplum in hoste tam rarum tamque admirabile est, vt gens Lusitana non minus Ebutii pectate, quam Viriati victoriis gloriari merito possit.

Vnde Minicius ipse, vt virum fortē decuit, & Romano nomine dignum, tam insigne Lusitani virti virtutem, cum summa pietate coniunctam, memorabili etiam grati animi exemplo quantum in ipso fuit celebrare, & ad perpetuam hominum memoriam conseruare studuit.

Colligitur etiam ex hac inscriptione, id quod apud eruditissimos viros hactenus incertum erat, quo loco videlicet commissa fuit ea pugna, in qua Viriatus Claudium Vnimatum cum vniuerso exercitu fere usque ad internectionem profligauit. Quis enim iam dubitet in Orichensi campo non procul ab eo loco, ubi cippus hic visitur, prælium fuisse commissum?

Pag. 963. lin. 25. Callipolin, &c. Similis nomine vocatam urbem in Calabria tradit Pomponius Mela libro secundo capite quarto. Plinius etiam libro quarto capite duodecimo, ubi Cycladas insulas enumerat, in Naxo Callipolin collocat, quam aliqui Dionysiada à vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem appellabant. Quod si ob amoenitatem, & situs pulchritudinem, tam speciosum nomen oppida, & urbes sortiri queunt, merito noster Resendius Vizosam Amœnam, seu Callipolin nominavit.

Pag. 964. lin. 35. Nominis Endouellici causam, aut originem, &c. Sunt qui putent Endouellicū dici à dictione Græca Balos, seu Valos, idest, via, & endon, hoc est intus; & esse eum, quem Ethnici viis praesesse crederent, quemadmodum Terminus agris praesesse credebatur. Sed inscriptiones aliud innuere videntur, dum cum presentissimi numinis vocant, quod viarum custodi patum conuenit. Quare potius à Vellendo dictum fuisse puto, quod cæca illa ætas iacula, sagittas, ossa & similia corporibus affixa, & harentia eum a uellere, atque extrahere falso existimaret. Et tunc particula, endo, pro valde accipi debet ut antiqui accipere solebant, teste Festo. Nam vt cum Resendio suspicemur, ab oppido Endouellia, quod tunc extare potuit, dictum fuisse, adduci nullo pacto possum, cum apud Geographos & ceteros auctores nulla eius fiat mentio.

## L. ANDR. RESENDIVS

DE

ANTIQUITATIBVS  
EBORÆ.

Ex Lusitanico nunc primum Latinè redditus, ab And. Schotto Antwerp.

AD LIBVS, PROCVRATORIB. ET TABEL.  
LIONIBVS. CVRIÆ CIVITATIS EBORENSIS.

L. Andreas Resendius. S. P. D.

**N**ETERE iam pridem consuetudine Antiquitatis usque eo memoria culta semper fuit, vt uno quasi æstatum omnium consensu, ea opinio inueterauerit, pleraq; non tam sua natura & bonitate, quam vetustate in vulgus commendanda, & in precio habenda videri: & id quidem temere fortasse nonnūquam iudicatum. Fuit enim cum pluris rudes & incompositos Ennii poetæ versus, quam politam elegatissimq; Virgilii Musam facerent, nō alia de causa, quā quod antiquū illius, huius vero nuperū recensq; esset.

Horatius  
lib. II.  
Epist. I. ad  
Aeneas

*Diod. lib.  
Herod. in  
Enterpe  
Mela libr. i.  
cap. 10.* poema. Et vero ea est Antiquitatis gratia, ea maiestas, ut summo semper in precio ab omnibus gentibus sit habita. Hinc factum, ut res quo vetustiores, eo etiam dignitate magis praestent: vtq; gentes, quæ laudare sese non possent, vna se antiquitate prædicant. *Ægyptii cum, auctoriib. Diodoro Siculo, Herodoto, & Mela, primos se mundi incolas iactare soliti, fictis, fabulosisque argumentis: numeratis etiam tot annorum millibus, & vrbibus longe antiquissimis. Sed demus hoc vulgi opinioni, siue errore est, siue non; illud tamen nemo iure reprehenderit, quod tanto est nationum omnium, publice priuatimque sensu atque iudicio receptum: quibus & sacræ Scripturæ auctoritas accedit, quæ & vrbes ab antiquitate commendandas docet. Petiistis, viri clarissimi, ut quæ de EBO RÆ vrbis patriæ nostræ antiquitate & origine, legendo esse consecutus, vobiscum communica-* re, litterisque mandare, ut posteriorū memoriae consecrarentur, non detrectarem. Quod vbi rescitum, exigi à vobis cœptum esse, à principibus aliquot in Rep. viris, qui summa valeant auctoritate, idem & ipsi à me ita efflagitarunt; vt si aggredi, quod summis votis postularet, recusarem, uno consensu tantum non conuicii extorquere decreuerint. Equidem, ut libenter agnosco, quantum vobis pro tam honorifico de me iudicio debeam: sic illud inficiari non potestis, occasionem gerendæ rei pene è manibus excidisse: Proximo enim mense magistratu' estisabituri: summa itaque me ad scribendum temporis angustia circumscribi videtis: & Regis nostri iussu atque auctoritate totus in opere de Architectura conscribendo versor, nulli ut alii fei vacem, præterquam sacris ad populum concionibus, quas nulla de causa prætermittere debo. Interdum etiam de valetudine vitaq; Henrici, Cardinalis & Lusitaniz infantis, quem Mæcenatis, vel parentis potius loco, duco, valde animi labore, vix ut apud me sim. Nihilominus si hoc tempore imperio vestro obsequat, maiestatis lege minime reus agar: immo quod ad Regis officium, voluntatemque Præsulis, qui huic vrbis reipsa & studio, semper fuit, pertineat, pergratum illis hoc officium meum accidet. Libuit itaque productiorib. his brumæ noctibus duodecim, hanc patriæ qualecumque operam dare, & quod à me postulastis, litteris consignare: Ex qua quidem lucubratione si quæ ad nos gloria, ad alios vero utilitas dimanabit, eam vobis, qui primi hortando auctores existitis, acceptam referri solidam volo.

*De vera EBORÆ appellatione.*

## CAPUT I.

*Ptolemeus  
caſtigatus  
& Strabo.*

**S**cripturas itaque EBORÆ vrbis, Antiquitates, principiaque & ortus usque à capite arcessens, illud primo quæri video, quonam antiquitus nomine appellata ea sit, & ab eruditis appellanda. In libris sacrorum Rituum, Horarumque Canonicarum Breuiariis, Missarumque voluminibus ad hanc diem ELBORA, sex litteris, ususque ELBORENSIS plenumque legitur: At verum illi nomen EBORA est, quinque, non amplius litteris. Sic enim vrbem vocat Pomponius Mela, sic Plinius, sic Antoninus Pius in Itinerario: & ita passim libri emendatores Conciliorum præferunt, legiturque in marmorea inscriptione, quæ exstat sic in ædibus Tribuni militum equestrium, itemque in tribus, quas penes me domi habeo: & in alio lapide confracto, in vico sellarioru': Prætereà in columna, qua milliarum numerus olim designabatur, via regia quæ ducit Turega Alcacarem versus: de quibus quidem lapidum inscriptionibus post commodior erit dicendi locus. Quamobrem in Ptolemæi codice, qui circumfertur, depravatum esse hoc nomen nullus dubito, siue librarium id vitio accidit, siue Græci hominis incuria, μηνιον τὸ αὐταρίπηδα id sit; Hanc enim Lusitanie vrbem EBVRAM, per quintam vocalem in secunda syllaba appellat: alteram contra, Bæticæ, non procul à Gadibus, EBORAM nominat. cum retro oportuerit, hanc nostram Lusitanie EBORA vocare: illam vero EBVRAM, Cerealem cognomento: ut auctor est Plinius libro tertio, cap. i i. Et, qui Bæticus fuit, Mela Pomponius, non procul ab EBVRAM originem ducens; quæ ipsa vrbis solo equata, vestigia & rudera tantum ostendit: quam & in Strabone lib. 3. Geograph. EBVRAM, prima diphthongo scriptam esse obseruaui. Stephanus vero libro de vrbibus, quod Strabonis locu' non satis expendisset, Eboræ ea tribuit, quæ Eburæ sunt propria, & vice versa: sed Græci cum essent, & exteri, quid mirum, si nominum similitudine, & vt fit, affinitate decepti, hac inuicem commutariint? Melam vero, Plinium, & Antoninum, (cum Latine loquerentur, & fere essent ciues Romani) vera harum vrbium nomina ignotasse credi non potest. Facio itaque libenter, ut hos in præsens potius, quam illos, in Eboræ appellatione sequar.

De primo

**C**Ognit o iam vero vrbis nomine , auctor eius subiiciendus esse videbatur : quod hinc oppidi cuiusque prima origo , subducta calculi ratione , & ætas colligatur : tum quod summæ voluptati esse soleat , suos quoque vrbium auctores , præsertim viros domi militiæ que illustres , cognouisse , testantur id sacræ litteræ . Genesis enim 4. cap. de Caino , qui vrbem exædificauit , quæ prima orbis terrarum legitur earum vrbium , quæ in authenticis scriptoribus occurrunt , & appellasse ait , de filii nomine , Henoch . Verum hic lectoris desiderio satisfacere non possum : quod auctores satis idoneos laudare nequeam : nec libeat , more quorundam nostri seculi , nugas & fumos vendere : in quoru m humero etiam Florianus Ocampius est , quem Regii historici titulo , origines & Antiquitates , fabularum refertas , foras dare non puduit . Evidem meo more , institutoque maiorum , nihil huc adferam , nisi quæ idoneos satis scriptores habeant : fide dignos , omnique exceptione maiores testes laudabo , & lapidum testimonia , quæque hisce oculis inspicere licuit ; quisquis tandem ille est , qui primus huius vrbis auctor exstiterit . Quem ut vere nominare non possum , possum tamen magnam vrbis nostræ vetustatem ostendere , quod Viriati , magni illius Lusitani , ætate iam tum E B O R A condita florebat . Clarum id ex veteri inscriptione , quæ ad Diuī Benedicti Pomarenſium spectatur , his litteris :

L. SILO SABINVS BELLO CONTRA VIRIA-  
TVM IN EBOR. PROV. LVSIT. AGRO MVL-  
TITVDINE TELOR. CONFOSSVS AD C. PLAVT.  
PRÆT. DELATVS HVMERIS MIL: H. SEP. E.  
PEC. M. M. F. I. IN QVO NEMINI VELIM ME-  
CVM NEC SERV. NEC LIB. \* INSERI SI SE-  
CVS FIET VELIM \* OSSVA QVORVM CVNQ.  
SEPVLCR O MEO ERVI, SI PATRIA LIBERA  
ERIT.

Hoc sepulcrum  
è pecunia mea  
mibi faciendū  
iussi.  
\* Forte inferre.  
Sic Terent. in  
Eunuch.  
\* Ossum pro Os.  
teste Donato,  
& Capelle.

Vnde patet antiquissimam esse Ebora originem , quod bello Viriato iam tum ut dixi , celebris esset : Viriatus autem Lusitaniam , post etiam Hispaniam vniuersam ad defectiōnem , armaque capessenda sollicitauit , anno Vrbis conditæ 100 C VI I. Cn. Cornelio Lentulo , L. Mummius Coss. auctore Paulo Orosio , aliisque : qui fere centesimus & quadragesimus est annus ante natum orbi redimendo C H R I S T U M Saluatorem . Quot vero anniam abierint , ex quo condita Ebora esset , non habeo dicere : illud tantum , fuisse iam tum , claram Eboram satis sit necesse est . Quo cognito cur non acquiescam ? perinde atq; Vlpianus I. C. qui L. Sciendum , D. De censibus , Tyram coloniam , ex qua oriundus erat , antiquissimam esse , non nominato , qui eam primus condidisset , dixisse contentus fuit .

## De Sertorianis temporibus C A P. III.

P O S T id tempus , deficiente rursum à Romanis Lusitania , duce fortissimo Q. Sertorio . ad annum ab V. C. 100 C LXII. Ebora , quod clara & frequenter habitata vrbis esset , cohortem vnam , Sertorio misit auxilio , sexcentorum scilicet militum , qui militiae fidelem ei operam nauarunt . Hic itaque cum grati animi declarandi causa , tum quod Lusitaniæ vmbilicum Ebora teneret , ( quæ res ad reliquas vrbes in officio continendas plurimum valet , quod , vt periti rei militaris censem , qui campestribus locis imperat , ceteram regionem facile adiungat : ) sedem fixit , domumque exædificauit , quæ etiamnum hodie Sertorii appellatur : in qua familiarem seruam , tresque cum illa libertos , alebat : vt didici ex ele-  
gantilapide , qui sexto ab hinc anno , proxime eas ædes erutus est , his litteris inscriptus :

LARIB. PRO SALVTE ET INCOLVMITATE  
DOMVS Q. SERTORII COMPETALIB. LVDOS  
ET EPVLVM VICINEIS IVNIA DONACE DO-  
MESTICA EIIVS ET Q. SERTOR. HERMES Q.  
SERTOR. CEPALO Q. SERTOR. ANTEROS LI-  
BERTEI.

Iussit idem Sertorius muris vrbem cingi , ex lapide quadrato : qui muri hodieq; mul-

Tomus II.

Nn nn

tis in locis ad vetera mœnia spectantur. Adhæc aquam, Pratæ quæ dicitur, ad porticum vsq; qui excelsior vrbis locus est, vnde in omnes vrbis regiones diuideretur, deduxit: vt olim ostendi: in Apologia, qua Episcopo Vifentii respondi: qui Regi nostro, ne iterum aquam illam in urbem reduceret, dissidiadebat: negans aquæ ductum illic fuisse vñquam, nec esse potuisse: ac ne Sertorium quidem vñquam in his locis fuisse: denique ne Romanum quidem opus videri asserebat: contra atque ego Regi pridem persuaseram. Quia etiā de re age te nos memini copiose, duobus de Aquæ ductibus libris, quos Regi morem gerens, nuper scripsi: quare iterare eadem ista nihil opus est: quin potius, quod Aquæ ductum deducendorum, inueniendorumq; rationem contineant, propius nihil factum est, quam vt his adiungendos, vt legi interdum queant, si quæ forte hinc utilitas ad alios rediret; curarem.

*De Coloniarum, & Municipiorum iure. C A P. IIII.*

**A**NTIQVITATEM hic breuiter explanare conuenit, vt qui Romanorum temporibus vrbis nostræ status fuerit, melius cognoscatur. Romani itaque cum finitimis populis, vt Latio, in quo & Roma sita erat, imperare inciperent, nullam ab armis requitem, victores nonnunquam, interdum etiam vieti, inuenierunt: vt per annos aliquot fines proferre imperii non potuerint, donec tempus consiliumque utroque ab armis discedere, fœdera inire, vnumque populum, & gentem, fieri coegit. Latinos igitur Romani pro sociis & amicis sibi adscierunt, dato iure, vt in bello legionibus Romanis permisi militarent, & magistratus officiaque hic gerere, honores accipere communi iure possent. Hoc amplius, Romæ etiam petere magistratus & gerere iis licuisse refert Asconius Pedianus, idoneus satie auctor: non tamē suffragia ferre, honoresve aliis decerne Latinos potuisse. Quod ius, quia Latinis, & prius quidem quam aliis gentibus concessum est, Ius Latii appellatum. Contenti itaque tunc eo honore Latini fuerunt: post tamē & suffragii in viba Roma fetendi, & creandi magistratus, ius dari sibi postularunt, vtque pro ciuibus Romanis pari cum cæteris iure haberentur. Concessum & id priuilegio quodam populis aliquot, ægre tamen, vocatumque, Ius ciuium Romanorum: verus vero ad discrimen noui huius, Ius antiquum Latii est appellatum: Datumque item Ius longo post tempore vniuersæ Italiæ dirimendorum, quæ hoc nomine plurima gerebantur, bellorum causa: Hinc etiam Italicum Ius dici coepit: Cuius Vlpianus I. C. meminit. L. sciendum D. de Censibus. Ethæc quidem de iure Latii, ciuiumque Romanorum, & quidem breuiter, differui: qui forte plura requiret, Andream Alciatum lib. II. Dispunctionum legat: quæque de his nuper copiose, & latius, singulari commentatorio, qui Deo bene iuuante breui apparebit, complexus sum. Erat & illud in more positum Romanis, vt ciues aliquot alio habitatum diuerterent, vt loca illa incoleterent, posseiderentque: quam hinc Coloniam appellabant. Municipium vero, cum loci incolis ius illud, quo de egimus, concederent. Ampliabant itaque Romani. vel astringebant arbitratu suo ius & immunitates, quantum vellent: vt auctor est Corn. Tacitus Annali vndecimo. Tiberii enim principatu A. Vitellio L. Vipsanio Coss. Anno DCCC. post Ro. cond. disceptatum in Senatu magna contentione refert, si prouinciae Gallæ Comatae principibus viris, qui iam pridein ciuitatis Ro. ius obtinebant, ius etiam honoris magistratusque Romæ gerendi, concedi oporteret. Idem discere licet titulo Pandectarum, qui est de Censibus: municipia enim quædam & Colonæ, immunes, & iuris erant Italiæ: aliæ Colonæ latiæ, quæ ius illud antiquum Latii haberent: aliæ rursum priuilegio conditæ, saluis vectigalibus, quæ penderent: quædam vero præter nomen Coloniarum nihil obtinebant iuris. Antonius quoque Imp. omnes, qui Romano imperio parebant, legelata pro ciuibis haberi iussit: quæ lex exstat L. In orbe Romano, D. de statu hominum, vt legunt quidam, & interpretantur, Andr. Alciatus, & Ioannes Corasius, Iuris consulti eruditissimi: idque saluis pop. Ro. vectigalibus ius datum satis patet. Agellius lib. 16. cap. 13. Noctium Atticarum Municipiorum conditionem, tametsi dignitate inferior esset, Coloniarum iuri præstissime docet. Colonæ enim, cum ex ciuibis Romanis alio deductis constarent, legibus Rom. quibus regebantur, non suo arbitratu vincentes, subiectæ, vt antea, pertinebant. Municipia vero cum Coloniarum immunitate & iure, vel paulo minore gauderent; suis ipsa legibus, suoque arbitratu regebantur. Verum quod imago Romanæ vribis Colonæ essent honoratores, & dignitate præstantiores habebantur.

**E**BORA Municipium, veteris Latii oppidum, & immune, quod LIBERALITAS IV-  
ELIA cognominatum, auctor Plinius lib. 4. cap. 22. Sed præstantiori iure Olyippo fuit,  
utpote municipium iuris ciuium Romanorum : & Pax Augusta, Colonia iuris Italici,  
ut ait Paulus Iurisc. l. in Lysitania D. de Censibus. Pacenses, inquit, & Emeritenses iuris  
Italici sunt. Dixit Plinius immunem Eboram, quod veetigalia minime penderet. Idem  
enim, cum in Lusitania vnum esse Municipium iuris ciuium Romanorum, tria vero iu-  
ris Latii docuisset, subiicit, sex item & triginta stipendiaria esse: quod stipendium, seu ve-  
etigal penderent: & Eboram in tribus illis iuris Latii nominat: mox quæ tributum pende-  
rent oppida singulatim enumerat. Hinc constat Eboram immunem à veetigalibus fuisse.  
Et licet, ut idem Plin. antea lib. 3. cap. 3. refert, vniuersæ Hispanie Vespasianus Imper. Au-  
gust. iactatus procellis Reipub. Latii ius tribuit; appetat tamen quod hæc coacta liberali-  
tas, ac necessitate expressa fuerit, non ita diu durasse ius illud, sed reuocatum, permansisse  
duntaxat penes eos populos qui antea obtinuerent. Si enim perpetuo durasset, quid atti-  
nebat iterum à Plinio enumerari singulatim eos populos, qui Latii ius obtinerent. Quæ  
cum ita sint efficitur, Romanis rerum potitis immunem iam tum Eboram fuisse, sociam-  
que populi Ro. Populos vero in omnibus, quasi ciues Rom. habitos: adhuc vocari & re-  
censeri in tribus Romanis solitos: Potuisse etiam belli in cohortibus militum, & legioni-  
bus Romanis stipendia facere: munia publica Romæ obire; Magistratus denique in vrbe  
petere, & eligere. Suffragia tamen ferre, quod ius ciuium Romanorum non omnino ob-  
tinerent, non potuisse.

## A quo primum Eboræ hoc ius concessum. C A P. VI.

**V**i s primus hoc Ius Eboræ, quave de causa concesserit, mihi quidem non liquet:  
Q amplius itaque pronuncio: coniectura tamen ducor, ut credam C. Iulii Cæsaris id  
beneficio, Eborensibus datum, idq; ex vrbis cognomento, quod apud Plinium, LIBER-  
ALITAS IVLIA EST: Confirmaturq; elegantissimo marmorei cippi Epigrāmate, quod  
30 domi meæ seruo, olim vero ad D. Petri visebatur, & post paulo, cap. 8. adscribam: Altera  
item eiusdem fere magnitudinis Inscriptione, eleganterib. litteris ad D. Iacobi, hoc titulo:

DIVO IVLIO LIB. IVLIA EBORA. OB IL-  
LIVS IN MVN. E MVN. LIBERALITATEM  
EX D. D. D. QVOIVS DEDICATIONE VENE-  
RI GENETRICI CESTVM MATRONÆ DO-  
NUM TVLERVNT.

Hoc est: Liberalitas Iulia Eboræ Ob illius in municipiis è municipio liberalitatem ex Decreto  
40 Decurionum dedicauit, scilicet statuam hanc, in cuius basi hæc inscriptio erat, Cestum pro ve-  
ste preciosa.

Quæ si non me fallit coniectura, Cæsaris Iulii liberalitate ac beneficentia, hoc Eboræ  
est secuta, ut esset Iuris Latii municipium, idq; post bella cum Sertorio gesta: nimurum cum  
iam in gratiam ciuitas hæc cum populo Rom. fortasse etiam ob bene merita rediisset. Nam  
& Cæsar Augustus, referente Tranquillo, Ius Latii, vel ciuitatis Romanæ, non nisi bene  
de Repub. Rom. meritis conferre solebat. Nisi forte cognomento hoc magis est consen-  
taneum, Sertorianis temporibus Eborenses arma contra Romanos sumptuisse, hostiliter-  
que se gessisse: Cæsarem nihilominus, quo deuinctam magis sibi redderet, reique publi-  
ca Romanæ æterna amicitia obstringeret, sua benignitate priuilegium hoc, iusque Latii  
& immunitatis permisisse. Et quamuis coniectura hæc nostra, cum veteri illa inscriptio-  
ne Sertorii, quam in Apologia ad Visensem Episcopum copiosius explanaui, pugnare vi-  
deatur; in qua Eborenses Municipes appellati: tamen fieri posse affirmo, improprie eo  
tempore sic appellatos: quo modo Vlpianus D. ad Municipalem, ait, ea tempestate suos  
cuiusque ciuitatis ciues, Municipes suæ ciuitatis, non tamen Municipes Romanæ appellatos. Credibile & illud Eboram ante Cæsaris Iulii tempora municipium fuisse, sed stipen-  
diarium, neque ut post, iuris Latii extitisse: idque ius, quod à populo Romano accepis-  
sent, tempore Sertorii ob rebellionem amisisse, quod arma contra tulissent. Iulium vero  
ob eam q; proxime dixi, causam, sua liberalitate ius illud postlimino reddidisse, nō ob be-  
ne merita, quia potius ob damna, bellisq; offensiones, Romanis illatas. Verum hac tota dē